

QVOD DEVS FORTVNĒT!

EXERCITATIO IVRIDICA

DE

PATRIA POTESTATE

QVAM

SVB PRÆSIDIO

DN. DANIELIS CLASEN:

PHILOSOPH. ET J. U. DOCTORIS

ET IN ILLVSTRI IVLIA ANTECES-

SORIS ORDINARII &c. &c.

*Ipsis Idibus Decembris*

IN JULEO MAIORI

*Publicæ eruditorum disquisitioni subjiciet*

DAVID MALACHIAS Siebenhaar

Auctor & Respondens.



HELMÆSTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCC LXXII.

#. A. #.

Coll. diss. A  
57, 32

844. A. 157 (32)

VI 20

be. M. J. Siebenhaar



V I R O  
P L U R I M U M R E V E R E N D O , M A G N I F I C O  
A T Q U E E X C E L L E N T I S S I M O

D N . C H R I S T O P H O R O  
B U L Æ O ,

S . S . T H E O L O G . D O C T O R I , S E R E -  
N I S S I M I E L E C T O R I S S A X O N I Æ C O N S I L I A -  
R I O E C C L E S I A S T I C O M E R I T I S S I M O , P A S T O R I  
A C S U P E R I N T E N D E N T I D R E S D E N S I U M E T S U -  
P R E M O S C H O L Æ I N S P E C T O R I V I G I -  
L A N T I S S I M O .

D N . P A T R O N O , P R O M O T O R I *ac respectivè*  
*P A T R I N O & S U S C E P T O R I Æ T E R N U M*  
V E N E R A N D O .

Has qualescunq; studiorum primitias in  
perpetuæ observantiæ monumentum  
& gratæ mentis signum cum ulteriori  
sui suorumq; studiorum commenda-  
tione perofficiose

D . D . D .  
*Ipsius omni cultu & obsequio æternum*  
*devotissimus*

DAVID MALACHIAS Siebenhaar.







I. N. D. N. J. C.  
EXERCITATIONIS JURIDICÆ  
DE

PATRIAPOTE-  
STATE

ASSERTIO. I.



Inter Patrem & liberos amicitiam  
intercedere ostendit amor satis magnus,  
quò illi se invicem prosequuntur. Amicitia  
autem, quod pulchrè ostendit Arist. l. 8.  
c. 9. Ethic. supponit societatem, & Juris  
ac bonorum communionem. Eapropter  
hæc tria *Amicitia, societas, & Jus* easdem differentias ha-  
bent & æquè latè patent; ita ut inter quos unum ex istis,  
inter illos & reliqua sortiantur locum. Proinde inter  
quos est societas & communio, inter illos quoque viget  
amicitia: & vicissim inter quos intercedit amicitia, inter  
illos se exserit societas & communio, secundum diver-  
sitate communicationis autem diversæ oriuntur amici-  
tiæ. Qua de re alibi dabitur differendi occasio, interim  
legi poterunt ea, quæ observavit *Thomas ab Aquin* in libr. 8.  
*Ethic. Aristot. Lect. 9. fol. 308.* & quæ in compendium per-  
spiciuè

A

spiciuè



II.

Verum qualisnam sit amicitia & societas, quæ inter Patrem & liberos intercedit, exinde ostenditur. Quod amicitia sit duplex. 1. *Naturalis*, cujus causa est ipsa natura, seu ad quam colendam homo ex instinctu naturali propendet. 2. *Legalis*, quæ à lege vel speciali quodam pacto ejusque confirmatione oritur. Quæ divisio vel inde probari potest: Quemadmodum se habet communio bonorum, ita se habet jus & amicitia: Atqui communio bonorum est vel à natura vel consensu, Ergo ipsum jus & amicitia vel à natura, vel à consensu seu pacto tacito vel expresse descendit. Et de jure nullum est dubium: hoc enim non malè *Aristoteles l. 5. c. 7. Ethic.* dividit in naturale & legitimum vi hujus consequentiæ: *Quodcumq; hominem obligat, illud eum obligat vel à natura vel ex consensu; sive is statim à principio adsit, sive postea accedat. Atqui jus hominem obligat. &c.* De neutra præmissarum ullum videtur dubium: sicuti quoque inter Aristotelem & ICros, qui *Ius Gentium* addiderunt, tanta non est pugna, uti à quibusdam ea exaggeratur. Ex hisce inferimus, non incommodè amicitiam in Naturalem & Legalem dispesci posse, & quidem ob meliorem doctrinam.

III.

Quod amicitiam Patriam attinet, illa est naturalis, utpote à qua tanquam à capite & fonte reliquæ, quæ inter fratres, sorores, agnatos & cognatos existunt, potissimum dependent. *Aristol. l. 8. c. 12. Ethic.* Et hæc amicitia floret in pulcherrima societate paterna, quæ inter parentes & liberos in hunc finem instituta est, ut illi sibi invicem prodelle, ipsi quoque liberi bene educati ad vitam civilem apti evadere possint.

IV. Hæc



## IV.

Hæc tamen societas paterna supponit aliam priorem societatem, unde & ipsa resultat, quæ est Societas Conjugalis, certè societas maximè naturalis, in quam homo magis inclinatur, quam ad vitam civilem. Et quia conjugium est vitæ socialis fundamentum, ideo nonnulli docent: homines ad illud incundum de Jure naturali obligari, sed per modum præcepti affirmativi, quod quidem, uti *Scholastici* loquuntur, obligat *Semper*, sed non *ad Semper*, id est, non omni loco & tempore: verùm hîc spectanda prius est occasio, quâ commodè liceat matrimonium contrahere, quæ secundum cujusque ætatem, conditionem, statum, & facultatem, pro ratione quoque temporis, & functionis seu muneris, quod sustinet, demum apprehendenda est. Alii illud ita exprimunt: tum demum hominem obligari ad conjugium, quando extra istam societatem vivere non potest, ut ita obligatio istæ ad hominum diversimodè se habentium conditionem sit quoad tenus restricta. Ea propter quoque Deus, ubi instituit matrimonium, non simpliciter omnes istius societatis capaces, nemine excepto, ad vivendum in conjugio obligavit; sed eos saltem, qui continere aliter non possunt, vel sobolem procreare desiderant.

## V.

Hinc videmus Legislatores passim cives suos invitare ad incundum conjugium: illudque multis modis commendare. Ut alia testimonia non adducam, subsisto saltem in jure nostro, in quo traditur: maximè necessarium esse scilicet *matrimonium*, nec non *dotatas esse feminas ad sobolem procreandam, replendamq; liberis civitatem*, uti ait *Pomponius in l. 1. ff. Sol. marr.* Et *Justinianus Imperator l. 2. C. de Ind. Viduis.* sanxit: Augeri volumus nostram



republicam, & multis hominibus legitimè progenitis frequentari. Inde *Lex sobolis procreanda causa lata Reipublice utilis* dicitur in l. 64. ff. de *Condit. & demonstr.* Hadrianus quoque Imperator testatus est: Se malle imperium ampliari hominum adiectione potius, quàm pecuniarum eopia. l. 7. §. 3. ff. de *bon. damn. In. Nov. 22. pref.* Matrimonium tanquam honestum sic commendatur, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera maneat. Et in N. 39. in *sine pref.* Nuptiis nihil est hominibus utilius, tanquam qui soli homines facere valeant. *Nov. 140. pref.* ait: *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atq; matrimonium, quippe ex quo liberi omnisq; deinceps sobolis series existat: quod regiones & civitates frequentes reddat: inde deniq; optima reipublice coagmentatio fiat.* Hisce addo, quæ scripsit *Leo Imperator* in *Nov. 26.* Magnam sanè excellensq; donum à Deo creatore ad mortales promanavit *Matrimonium.* Non modò enim natura mortis ingluvie obnoxie opem fert, humanoq; generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depascitur, non omninò deperire sinens: verum etiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vita præstat. Et in N. cxi. pr. præclare statuit: *Nihil adeò ad conservandum genus humanum esse necessarium, atque quod est è costa viro attributum subsidium cum artifex ille, qui istud condidit, docet, tum ipsa natura divino documento attestatur.* Plura testimonia non adducam.

## VI.

Ex hac Societate Coniugali immortalitatem generi humano inducente nascitur societas paterna, quæ consistit inter patrem & liberos legitimos. Licet enim inter patrem & liberos extra justas nuptias quæsitos hæc societas itidem esse possit; tamen obstante Legis positivæ

pro.



prohibitione in societate civili ejusmodi societas inter tales impeditur. Ratio est, quia Lex positiva potest in societate civili paternam quamvis è Jure naturali & ipsa descendat, limitare, coarctare, & ob usum publicum seu finem propositum planè impedire. Etenim si Lex civilis maris & feminae conjunctionem potest certis regulis circumscribere, ita, ut si istis requisitis conjunctio illa fuerit destituta, ipsa habeatur pro illegitima; eadem utique, ut inter ejusmodi generantem & generatos non possit consistere societas paterna, oppidò in sua civitate potest vetare.

VII.

In illos autem liberos, qui è justo matrimonio nati sunt, pater habet potestatem: quippe quod matrimonium fuit prima causa habendi liberos in potestate. Argumentor ita: *In qua societate liberi originariè & legitimè nati simpliciter non sunt sui juris, illa societas est prima causa habendi istos in potestate. Sed Matrimonium est talis societas, in qua liberi &c.* E. Majoris consequentia dubio procul patebit omnibus. Nam 1. Si datur societas, in qua originariè aliqui existere incipiunt. 2. Illa autem, qui legitimè producuntur, non sunt sui juris; tum necessum est. 3. ut alterius potestati illi subjiciantur. Hinc. 4. illa societas, in qua originariè isti producuntur erit prima causa, ut illi sint sub potestate alterius. Quoniam *sui Juris non esse* hoc importat, oppositum scilicet, *alterius potestati subesse*; quippe quod contrariorum sit contraria ratio. Minoris probationem nemo fortean desiderabit, qui naturam, rationem formalem, ut & finem matrimonii intelligit. Hinc dico: si in matrimonio legitimi adsunt liberi, & hi sunt in potestate, tum quoniam prior non datur, ipsum conjugium erit primà causa, quòd liberi sint in potestate genitoris.



## VIII.

Ubi disputari solet, undenam patria potestas proximè demum acquiratur? numquid illa per actum quendam naturalem producat, vel ab aliqua causa extrinseca procedat? Quidam existimant imperium patris in liberos descendere à Deo: quippe qui uxorem marito, & quicquid ex ijs genitum est, patris tanquam potentioris potestati subjecit. Incomparabilis *H. Grotius. l. 2. c. 5. n. 1. de I. B. & P.* in hac societate Patri in liberos imperium acquiri docet per *Generationem*. Quod *Pufendorfius l. 6. c. 2. p. 820. de Iur. Naturali*, ita explicat: *ac si Generatio præbeat occasionem jus aliquod in prolem acquirendi: Solam tamen generationem non vult sufficientem esse titulum imperii in humanam sobolem constituendi, quippe quòd proles è substantia nostra excitata in personam nobis similem abeat, & quæ quoad jura naturalia nobis evadat equalis, ut, si nobis inæqualis esse debeat, alio titulo sit opus, quò nostro subjiciatur imperio.*

## IX.

Verùm quod Deum attinet, ille est causa universalis & externa, quam non excludo, sed potius suppono. Quâ suppositâ, adhuc integrum mihi est inquirere in causam proximam, quæ an non sit generatio, sequens argumentum ostendet, *Per quem actum agens immediate constituitur pater, per istum quoque eidem acquiritur patria potestas.* Ratio consequentiæ est, quia ideo aliquis patriam potestatem obtinet, quòd sit pater, & liberos generaverit. *Sed per actum generationis generans immediate constituitur pater.* E. Minor patet, quia consideratis omnibus, quæ concipiuntur ad hoc, ut aliquis fieri possit pater, nihil est, unde *ratio paterna* descendat, quàm generatio. Unde liquet: proximum principium, seu, ut alii loquuntur, *ra-*



*tionem fundandi patriam potestatem, esse generationem, & in eo H. Grotium haecenus non errasse,*

X.

Nec obstat, & matrem tanquam *causam Sociam* ad generationis actum concurrere, ut proinde vel par jus per generationem eidem acquiri debeat: vel verum non sit, per generationem obtineri patriam potestatem. Nam *R.* concedendo quòd *mater ut Socia quidem concurrat ad generandam prolem, verum sub certa qualitate, quatenus scilicet ipsa iam tum est sub potestate mariti; quam qualitate per concurrentiam ad quarendam sobolem ipsa non deponit, sed manet ipsa sub potestate maritali perpetuo.* Et ideo, cum qui sub potestate est, non possit alios sub potestate habere *L. 21. ff. ad L. Iul. de Adult.* mater ex se genitos sub potestate sua non continet. Interim licet potestas patria per concursum ad generationis actum matri non communicetur, vel etiam acquiratur; ipsa tamen in administrationis domesticæ partem utiliter admittitur, ejusque cura circa generatam sobolem non excluditur. Deinde quantumvis defuncto patre gubernatio familiæ penes matrem maneat, & cura educandi liberos ipsi plenius incumbat; attamen potestas patria in ipsam non transit. Quapropter *mater quædam post mariti obitum ab immorigero filio honorem quidem patri debitum poscebat; sed potestatem patriam sibi non arrogabat.* Locum ex *Hierocle* adduxit in suis notis Politicis *lib. 1. c. 3. p. 49. Dn. Praeses.*

XI.

Similiter non obest, quod nonnulli urgent: *Si patria potestas per generationem acquiritur, quod tum & bestia sine capaces istius potestatis.* Respondet enim, quòd patria potestas consistat in jure imperij, cujus communitio supponat societatem, & in sociis rationem ejusque usum: quæ omnia defi.

defi.



deficiunt in bestijs, quæ quidem generant sibi simile, cum generatis tamen non vivunt in societate, & communione juris. Unde oppositum seu contradictorium consequens potest stare cum antecedente, quod est indicium argumenti claudicantis.

## XII.

Præterea, etiamsi persona genita abeat in personam generanti similem, & quoad jura naturaliter hominibus competentia eidem æqualis sit; hoc tamen *Grotii* assertionem non destruit *docentis* per generationem acquiri patriam potestatem. Quandoquidem manet adhuc quædam inæqualitas in generatis liberis, quatenus illi sunt alendi, educandi, & illorum actus dirigendi ad illorum propriam salutem, quod sine potestate esse & absolvi non potest. Sunt itaque liberi isti adhuc genitoribus suis inæquales, quoad rationis usum, curam salutis & utilitatis propriæ, & actuum directionem. Sed actus liberorum à patre non possunt dirigi ad finem propositum, nisi ab illorum parte adsit obsequium, quod in dirigente supponit imperium & potestatem. Ubi autem inter aliquos se exerit ratio imperandi & parendi, ibi inter istos erit inæqualitas, uti è principiis scientiæ civilis hoc notissimum est.

## XIII.

Coeterùm *Clariff. Pufendorfius* l. 6. c. 2. n. 4 p. 820. & 821. de I. N. & G. statuit: Ius parentum in liberos duplici titulo fundari, (1) *Lege naturali* quæ dum sociabilem esse hominem iussit, parentibus curam liberorum injunxit: quæ ne eo minus negligeretur, tenerrimum simul affectum in prolem iisdem implantavit. Non potest autem illa una rectè exerceri, nisi potestatem habuerint parentes liberorum actiones dirigendi ad horum salutem, quam ipsi propter iudicij defectum nondum intelligunt. Igitur eò ipso à natura injungitur parentibus, ut imperi-



imperium in liberos exerceant, quantum ad istum finem juris.  
Nam obligare aliquem ad finem, censetur quoque eidem contu-  
lisse potestatem usurpandi media, sine quibus iste obtineri non  
potest. Quæ certè potestas ex injuncta parentibus cura  
liberorum necessariò in liberis ponit obligationem sub-  
mittendi sese parentum directioni. 2. in presunto libero-  
rum consensu, quippe qui ex ipsa parentum opera obligationem  
erga eosdem contrahunt, non minus, quàm si expressus ipsorum  
consensus accessisset. Quem in finem adducitur l. 2. ff. de  
negot. gest. Quæ sententia licèt videatur satis egregia; at-  
tamen illud dubium adhuc me tenet suspensum, quòd  
duæ istæ allatæ rationes patriam potestatem potius sup-  
ponant, quàm constituent. Etenim. 1. si lex naturæ paren-  
tibus curam liberorum injunxit, tum necesse est, ut aliquis  
prius sit parens, quàm ei cura liberorum ab ullo iure imperari  
queat. Hinc redit quæstio: unde quis constituatur in ESSE  
patris, cui immediatè patria potestas cohereat? Lex naturæ  
certè injungit curam liberorum ei demum, qui patriam  
potestatem jam tum habet ad tuendam socialem vitam.  
2. Presumptus iste consensus liberorum se fundat in tacita paren-  
tum declaratione de implendo officio à natura ipsis injuncto.  
Sed à quo oritur istæc declaratio? à patre. Ergo pater est an-  
te istam declarationem de alendis liberis. Hinc præsumtus con-  
sensus inde erit explicandus, quòd liberi suo patri jam tum  
per generationem potestatem in ipsos obtinenti sese velint sub-  
mittere. Ubi potestas ante tacitum istum consensum  
constituta est, eumque præcedit. Erit itaque aliquid  
prius, per quod pater consequatur potestatem patriam,  
quàm uti sentit Cl. Pufendorfus. Allegata Lex. 2. ff. de negot.  
gest. ipsius intentioni parum vel nihil proficit, si cum iis,  
quæ hætenus explicata sunt, conferatur.



Sed missis hisce. *Patria potestas* dupliciter potest considerari 1. *Absolute* quatenus in se spectatur secundum originem et substantiam suam, quo sensu dicitur esse *juris naturalis & Gentium*, quoniam oritur è *matrimonio prima & antiquissima paterna Imperii causa*, uti hoc videlicet apud *Aristot. lib. 8. cap. 12. Ethic. & l. 1. c. 2. Politic. Flabius ad Vvesemb. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris n. 2. vers. Propria civium, fol. 96.* Estque nihil aliud quam *ius imperandi*, quod parentes ob reverentiam & pietatem ipsis debitam in liberos habent. Unde etiam illud matri commune videtur. *l. 6. ff. de injus voc. l. 4. ff. de Curat. furios. l. 4. C. de patr. potest.* Vide *Frantz. ad ff. de his qui sunt sui vel alieni juris. n. 12. p. 73. Rebhan. in Hodog. jur. p. 98.* Et hoc imperium, quod quidam non in scitè *Reverentiale* appellat non finitur, nisi *morte*: quia dum vivunt parentes, sunt venerandi, & pietate prosequendi. 2. *Relatè* habitò scilicet respectu ad rempublicam Romanam, è *cujus sanctionibus potestas patria certam formam, certosque effectus aliis gentibus non ita notos & communes accepit.* Quo sensu illa est *juris Civilis. §. 2. Inst. de patr. potest. l. 3. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris.* & ita dicitur *ius proprium Civium Romanorum.* Quoniam multa è dispositione juris civilis patriæ potestati accesserunt peculiariora, quæ aliis gentibus fuerunt incognita. *Rebhan. Hodog. jur. Charr. 2. Clim. 2. n. 3. p. 99.* Certè effectus patriæ potestatis per omnes ferè juris articulos, uti tutelam, acquisitionem rerum, successiones, obligationes & actiones sese diffudit, ut exinde non incongruè dixerit Imperator *in. §. 2. Inst. de patr. potest.* *Nullos alios esse homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem civis Romani habent: licet & alii populi suos liberos contineant sub potestate.*  
 Confer-



Confer Joh. VVurmser. in Nucl. controu. 7. lib. 1. tit. 9. con-  
trou. 1. p. 105. & 106. Et Joh. Stuckium de jure Absoluto Dec. 2.  
asserz. 2 Sed fidicere licet, quòd verum est, jure Romano-  
rum ferè eversum est, quòdcunque jus naturale circa pa-  
triam potestatem intendit, quippe quòd in quibusdam du-  
rior liberorum, quàm servorum fuerit conditio, sicuti il-  
lud infra patebit pluribus.

XV.

Obstare videtur l. 8. ff. de His qui sunt sui vel alien.  
jur. ubi dicitur: *Ius potestatis moribus esse receptum.* Quòd  
si verum est, tum neque iure naturali vel Gentium, ne-  
que iure Civili potestas patria est introducta, cum & ali-  
às non possit ad jus naturale propriè referri, ea ratione  
siquidem patria potestas etiam post emancipationem du-  
raret, quod est contra. §. 6. Inst. Quib. mod. patr. pot. solv.  
Deinde potestas istæ tollitur Civili morte. §. 1. Inst. Quib.  
mod. patr. pot. solv. quâ tamen non amittuntur ea, quæ  
sunt iuris Gentium, l. 17 §. 1. ff. de Poen. Verùm ante-  
quam ad objectionem respondeam, quidam docent: per  
*mores* intelligi *Ius Gentium*, sicuti vult Harprecht ad §. 2. n.  
3. p. 293. Inst. de Patr. potest. Aliter Ascanius Clem. c. 3.  
n. 1. p. 8. & 9. De Patr. potest. utpote qui illud inter-  
pretatur de iure Civili. Adde Acacium Enenckel de Privil.  
parent. & lib. c. 3. pag. 44. Convenientius fortean di-  
cetur: *Ius Patriæ potestatis moribus introductum esse quo-*  
*ad certos effectus, scilicet Ius emancipandi, substituendi, &c.*  
Vinnius ad Inst. de Patr. potest. n. 2. p. 43. Licet alii sentiant,  
iure patriæ potestatis tempore Romuli in usu, & in LL. XII.  
Tabb. receptum, & moribus demum comprobatum fuisse.  
Coll. Argentor. ad ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. p. 43. n. 6.  
Interim non est novum, ut quæ Legibus constituta sunt, tribuan-  
tur moribus, quippe quòd Leges confirmantur moribus & usu.



Rittershus. ad Inst. de Patr. potest. p. 55. Sanè non pauca in  
 libris Digestorum tribuuntur moribus, quæ tamen descen-  
 dunt è LL. XII. Tabb, uti sunt donatio inter virum & uxo-  
 rem: Interdictio bonorum prodigo facta; Substitutio pupilla-  
 ris. L. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. l. 1. ff. de Curat. fur.  
 l. 2. ff. de vulg. & pupill. substit. Ut ita inter l. 8 ff. de his  
 qui sunt sui vel alien. iur. & l. 3. ff. eod. nec non §. 2. Inst. de  
 Patr. potest. tanta non videatur pugna. Ad instantiam  
 illam & pietatem liberos etiam post manumissionem  
 parentibus debere l. 10. ff. de Obsequ. paron. & paron prest. &  
 in specie quoque matri, l. 4. C. de Patr. potest. licet vis im-  
 perii aut coactionis ibidem tum deficiat. Quod autem  
 Patria potestas solvatur morte civili, illud ideo fit, quia  
 certam formam à Iure Civili accepit, ut ferè ejus Iuris fa-  
 cta esse videatur. Sic matrimonium solvitur morte ci-  
 vili per l. 56. ff. solut. matrim. cum tamen societas conju-  
 galis sit maximè naturalis. Confer *Timæum Fabr. disput.*  
*anniv. 5. n. 2. in explic.*

## XVI.

Sed relictis hisce, discrimen in proposito argu-  
 mento faciendum est inter dominium & potestatem.  
 Servus enim propriè in dominio, filius autem in potestate esse  
 dicitur. l. 215. ff. de V. S. cujus hanc rationem dat Faber  
 in Jurisprud. Papin. lib. 1. Tit. 8. Princ. 6. Illar. 1. p. 311. quod  
 qui in alterius dominio sit, caput in civitate habere nequeat,  
 ita ut paterfamilias ab hoste captus, quamdiu in illa conditi-  
 one sit, caput in civitate habere non intelligatur. Quantum-  
 vis tamen non infrequens sit, & servos dici in potestate  
 esse. pr. & §. 1. Inst. de his qui sunt sui vel. alien. iur. l. 1.  
 §. 1. ff. eod. Ita quamdiu aliquis in servitute est, ma-  
 nui & potestati suppositus est, & manumissus liberatur  
 potestate, pr. instit. de Libert. ubi tamen semper subintel-  
 ligitur



ligitur Dominica, quæ ex se gravio rem vim impetandi importat, quam imperium paternum, uti è lib. 1. Politic. Arist. id videre licet, etiamsi Romani illud adeò secuti non sint.

### XVII.

Vocabulum *Potestatis* varias habet significationes, de quibus legi possunt *Ascan. Clementin. in Tract. de Patr. potest. c. 1. pag. 5. Alciatus, Brechæus & Fornerius ad l. 215. ff. de V. S. fol. 466. & seqq.* In præsentem materiam sumi potest 1. Latè, quatenus denotat imperium in omnes illos, qui alterius juri sunt subiecti, l. 1. §. 4. ff. de Tribut. Act. quo sensu etiam dominium in servos nomine potestatis continetur. 2. Strictè, prout distinguitur à dominica potestate, estque imperium, quod pater naturaliter in liberos habet, cui postmodum Ius Civile peculiarem vim & formam addidit. Unde etiam hæc potestas civium Romanorum propria vocatur. §. 2. instit. de Patr. potest. Et hæc est illa potestas, quæ prædicatur inestimabilis in L. 114. §. 8. ff. de Legat. 1. ideo, quod potestas illa sit in caput civis Romani, quò majus & excellentius à Legibus Romanorum nihil dari posse creditum est. *Fab. in Jurispr. Papinian tit. 8. pr. §. p. 307.* quòdque pater nullo modo cogi possit invitus, ut patriam potestatem per emancipationem filii sui deponat, quem admodum textum *Marciani dicti §. 8. ff. de Leg. 1.* rectè explicat *Jacob. Cujacius ad Iul. Paul. lib. 4. sentent. tit. 13. §. 1.* Et ex eo *Ernest. Corbm. Vol. 1. Resp. 1. n. 86. fol. 13.* Hæc potestas variis appellationibus exprimitur in jure nostro. Dicitur enim *nexus paternus* in l. 6. §. 3. C. de bon. qua lib. in potest. patr. Item *vinculum familiae* L. 87. ff. de acquir. vel amit. hered. nec non *vinculum potestatis patriæ* l. 4. C. de pact. conv. Et simpliciter *vinculum potestatis* l. 17. C. de Donat. Præterea filius in potestate paterna



constitutus dicitur manere vel retineri in Sacris. Arias Pi-  
nell. part. 2. rubr. C. de bon. matern. n. 4. p. 40. l. 10. § 1. C. de Ad-  
opt. l. 3. C. de bon. matern. l. 12. C. de Collat. vel in sacris parentis  
constitutus, l. 7. C. de Curat. furios. In sacris esse l. 2. C. de bono  
qua liber. Ille verò, qui per emancipationem aut alias  
exivit è familia & potestate patris, dicitur sacris vinculis  
exsolvi vel exui L. 1. C. de offic. Praet. è sacris paternis re-  
mitti. l. 31. C. de Fideic. vel à sacris parentis absolvi, l. 1.  
§. 2. C. de Annal. Except. Vide Francis. Duaren. ad Tit. So-  
lut. matrim. rubr. de Nupt. n. 1. fol. 322. Patriam potesta-  
tem ideo istis verbis significari putat Stephan. Forcatulus  
Dial. 15. Necyom. n. 1. p. 75. quòd illa potestas liberis sit sa-  
crofanta, quòd etiam probat Francisc. Connan. l. 2. c. 13. n.  
6. fol. 195. Comm. Iur. Civil. per l. 9. ff. de Obsequ. par. vel.  
patr. prest. Rectius tamen Ascanius Clementinus de patr.  
potest. c. 6. eff. 7. n. 1. & 2. p. 98. statuit, eam ob causam  
in iure nostro patriam potestatem istis verbis declarari,  
quòd filius, quamdiu esset in potestate constitutus, ea-  
dem sacra & non alia, quàm pater, & habere & colere  
debuerit, quam sententiam probat Harprecht ad pr. Instit.  
de patr. potest. n. 13, & 14. p. 257.

### XIX.

Priusquam verò patria potestas definiatur, i. Scien-  
dum est, eum demum quoad effectum juris esse patrem,  
quem iusta nuptiae demonstrant. l. 5. ff. de in jus voc. ita ta-  
men, ut parentis nomine non is saltem intelligatur, ex  
quo aliquis immediatè est progenitus; verùm etiam avus  
paternus, proavus, & omnes superiores. L. 51. & l. 201. ff.  
de V. S. l. 12. in fin. C. Comm. utr. Iudic. Rosfred. Benevent.  
in Quest. Sabbat. qu. 12. n. 3. p. 58. Quod si dubium con-  
tingat, an aliquis sit pater, tum legibus & consuetudi-  
ne is pro tali habetur, quem praesumptiones, conjecturae,  
& indi-



& indicia non improbabilia patrem esse ostendunt. *Menoch. l. 2. cas. 89. n. 12. fol. 252. de A. l. Qu. Enenckel de Privit. par. & liber. in proleg. n. 35. p. 10.* Aliàs pater potest considerari dupliciter. (1) *Naturâ*, cujusmodi est qui in honesto conjugio sibi similem juxta desiderium naturale procreavit. Dico, in honesto conjugio, quale est quod secundum cujusque populi leges, statuta, mores & consuetudines contrahitur. Nulla siquidem gens ferè reperitur, quin ad conjunctionem conjugalem ineundam publicè certas adhibeat solennitates, quibus de legitimo matrimonio aliis constare possit. Et qui eo sensu efficitur pater, is factâ comparatione ad *Adoptivum*, vocatur *Naturalis*. *J. 2. Instit. de Adopt. l. 29. & l. 31. ff. eod.* quamvis isthæc vox alias diversam habeat significationem. (2) *Lege*, cum is, qui liberos planè non habuit, vel eos per mortem amisit, alios in locum liberorum solatii causâ assumit, & ita jure adoptionis juxta civiles sanctiones sibi liberos constituit. Qui dicitur *pater Legitimus*, vide *Theoph. Tit. de Adopt. p. 76.*

XX.

2. Filius est is, qui ex viro & uxore ejus nascitur. *l. 6. ff. de his qui sunt sui vel alien. Iuris.* & quidem constante matrimonio, modò illi inter se cohabitent. *Brunnem. ad d. l. 6. n. 1. fol. 19:* etiamsi uxor neget esse filium: quia ejus negatio non potest præjudicare veritati. *l. 29. J. 1. ff. de probar.* Et quantumvis filiatio sit difficilis probationis; tamen si potest filius hoc probare, se ex marito & uxore simul cohabitantibus fuisse natum, & eum in finem adhibere posse testimonia vicinorum, utique illud sufficet ad probandam filiationem. *Mascard. Vol. 2. concl. 789. n. 2. fol. 440. de Probar.* Ubi multa habet de hoc argumento. Adde *Menochium l. 6. pres. 53. fol. 832. & seqq. de Presum.*



*Præsumtio. & Gabriel. Paleot. c. 21. p. 106. & seqq. de Noib. & Spur. nisi fortean diutina absentia mariti, vel aliud legitimum impedimentum diversum suadeat. per l. 6. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. Filii nomine & nepotem ut & cœteros descendentes intelligi patet è L. 201. ff. de V. S. non obstante §. ult. Instit. Qui test. Tutor. dari poss. ad illam namque objectionem Rittersh. ad istum §. p. 99. Et Vin- nius ibidem p. 79. Eneenck. in proleg. de priv. par. & lib. n. 50. & seqq. p. 14. respondent. Uti pater, ita & filius du- pliciter potest considerari (1) *Naturâ*, quo nomine venit is, qui è justis nuptiis procreatus est. Et hæc est per- petua filii significatio, quando opponitur *adoptivo*, ut- pote tantùm *legitimo*. per §. 4. Inst. de Exher. liber. l. 31. ff. de adopt. l. 2. §. 6. ff. ad. Sc. Tertull. Deinde (2) *Lege*, qui cùm filius non sit, per adoptionem tamen talis con- stituitur. Et is dicitur *Legitimus*, habitò respectu ad *na- turalem*, seu *in justo matrimonio procreatum*.*

## XXI.

Quibus præmissis, *Patria potestas* definitur *jus impe- rii* competens patri in liberorum suorum legitimorum tam per- sonas, quàm bona & aëtionem, ad salutem & utilitatem eorum *naturaliter directum*. Quando autem *Ius Romanum*, in quo patria potestas certis modis informata est, consi- deramus, vigore istius *patria potestas non est qualiscunque præeminentia, dignitas, aut potestas*, quâ ex iplo naturæ & gentium jure parentes liberis suis quicquam præcipere aut interdicerem, certasque vivendi leges præscribere pos- sint; *Sed est singulare quoddam ius ex institutis Romanorum promanans, vigore cuius & parentes illi, qui liberos in pote- state habent: & liberi, qui in potestate parentum consistunt, tum privilegia quædam, quibus præ aliis singulariter gaudere possunt, consequuntur, tum etiam ad singularium quorundam in*

*usu*



usu Iuris observandorum necessitatem adstringuntur. *Biaccius* sect. 1. n. 10 rer. *Quotidian.* p. 57. & 58. Non tamen securus sum in definienda patria potestate illos, qui omnia tum è naturali, tum è civili jure promanantia in una definitione conjungunt; Sed rationem patriæ potestatis potius è principiis juris naturalis, quàm Romanorum institutis delineare & describere volui.

XXII.

(1) Loco generis ponitur *Ius*. per l. 132. in fin. pr. ff. de V. O. quonominè intelligitur facultas imperandi. Alias dici conluevit imperium. (2) additur: Cui illa potestas competat? nimirum Patri, ne utiquam verò matri, quippe quæ liberos in potestate non habet. §. 10. *Instit. de Adopt.* §. 3 *Instit. de hered. qual. & differ.* L. 13. ff. de suis & leg. hered. l. 5. C. de *Adopt.* nam hoc jus patriæ potestatis ad familiarum conservationem Romani referre voluerunt, uti *Faber de jurispr. Papin. Scientia. Tit. 8. princ. 1. p. 200. Et Illar. 3. p. 294. nec non princ. 8. p. 333.* hanc rationem profert. Verùm non malè dixeris, matri ideo patriam denegari potestatem, quòd illa sit sub potestate mariti. Cæteræ namque rationes à sexus imbecillitate, & ingenij judicijq; infirmitate desumptæ parum ad rem facere videntur. *E. nenckel. de privil. par. & liber. privil. 1. n. 9. p. 52. & 53.* Præterea (3) sub potestate patriæ tenentur *Liberi legitimi*, hoc est, qui vel in honesto conjugio procreati, legitimati, veletiam adoptione quæsitum sunt; seu, uti alij malunt loqui: in potestate sunt quidam *ab Origine seu naturâ*; alij *lege*, scilicet, qui *jure adoptionis* liberi facti sunt. Vide *Dn. Hahn. ad Vvesemb. ff. de his qui sunt sui. n. 2. fol. 94.* (4) Liberi sunt sub patria potestate non solum quoad ipsarum personas; verùm etiam quoad ipsorum bona & actiones, quod infra plenius discutietur. Legi tamen poterit *Anton. Perez.*

C

ad



ad C. de patr. potest. fol. 568. Tandem (s) additur finis, qui est utilitas & salus liberorum, quod intellexit *Ascanius Clement.* de Patr. Potest. c. 4. n. 13. p. 15. quandoquidem natura hoc intendit, ut liberorum negotia quaecunque dirigantur ad propriam ipsorum salutem & commodum. Qui addunt in definitione *familiae conservationem*, respiciunt quidem propriè ad iura Romana; attamen proximus iste hoc in argumento finis non est, cum necessum sit, ut secundum ordinem naturæ prius liberorum salutem sit prospectum, quàm ut per eos familia conservari queat.

### XXIII.

Post definitionem sequitur modus constituendi patriam potestatem, qui statuitur triplex. 1. *Iusta nuptia* 2. *Legitimationis*, & 3. *Adoptio*, uti patet ex *Institutionibus*. Cui obstat l. 1. ff. de Adopt. quæ duos saltem modos constituendi patriam potestatem exhibet, scilicet *naturam* & *adoptionem*; *Legitimationis* autem mentio ibidem fit nulla, ut ita duo saltem sint modi, *natura* nimirum & *Lex*: Sed R. sub natura quodammodo comprehendendi etiam *Legitimationem*, quod ita ostendo. Liberi enim vel in matrimonio sunt *nati*, vel *extra illud* & *priore casu* illi sunt in potestate parentum constituti; *posteriore casu* non item, quamdiu nempe in tali conditione manent. Quando autem extra conjugium nati vel per subsequens matrimonium vel per Rescriptum Principis legitimantur, *fictione Iuris* perinde habentur, ac si legitimè sint nati, ut ita hic status non immeritò referatur ad *Nativitatem*, atque nati vel verè vel *fictè* pro legitimè natis habeantur Confer ea, quæ habet *Giphanius lib. 1. Antinom. Iuris civil. disp. 3. ad n. 3. p. 57.*

### XXIV.

Non tamen assentior *Hugoni Donello*, qui in l. 2. c. 20. fol.



fol. 57. & c. 24. fol. 63. *Comm. Juris. Civil.* quartum modum  
constituendi patriam potestatem addit, nempe filij deli-  
ctum & quidem per l. unic. C. de ingratis. liber, quâ filius e-  
mancipatus propter ingratitude revocatur in potestatem pa-  
triam. Nam & hoc casu per filii emancipati delictum  
non acquiri aut de novo constitui patriam potestatem; sed  
eandem, quæ antea ex justis nuptiis acquisita erat, eman-  
cipatione ob filii ingratitude rescissâ, saltem restitui.  
Adde Osuvald. Hilliger l. 2. c. 24. in Nor. p. 102. Donelli E-  
manc.

### XXV.

Primus itaque modus constituendi patriam potesta-  
tem, est legitimum matrimonium, seu iustæ nuptiæ, pr. Inst. de  
patr. pot. l. 3. ff. de his qui sunt sui vel alieni iur. ubi cæteris  
vocab. iusti significationibus postpositis, Iustum h. l. i-  
dem denotare existimo, quod est solenne. Ita testamentum  
dicitur iustum l. 22. ff. de acqu. vel amit. hered. iusta  
sententia testatoris l. 3. ff. Qui test. fac. poss. iustum matri-  
monium. l. 65. §. 1. ff. de R. N. l. unic. ff. Unde vir. & uxor.  
Iustæ nuptiæ l. 5. 11. 12. & 18. ff. de stat. hom. id est, solenni-  
ter perfectæ: quod fit, quando debita adhibentur requi-  
sita à jure civili constituta ad hunc effectum, ut liberi ex  
istis procreati patria potestate contineantur, & iura fa-  
miliæ participant. Et hæ nuptiæ vocantur quoque legi-  
time in l. 19. ff. de stat. homin. Et uxor, quæ in tali conju-  
gio vivit, appellatur legitima in l. 4. ff. de R. N. Quænam  
verò solennitates, & requisita istæ sint, quibus nuptiæ con-  
stituuntur iustæ, illud alibi commodius explicari potest,  
nunc brevitati studendum erit.

### XXVI.

Secundus modus constituendi patriam potestatem  
est Legitimatio, quâ liberi ex illegitimo congressu nati, pa-  
triam potestatem continentur.



triae potestati subjiciuntur, & naturalibus restituntur quoad ea, quae liberis illegitimis de jure positivo sunt denegata. *Molin. de I. & I. Tract. 2. Disp. 171. n. 1. fol. 672.* Et describitur, quod sit actio legis civilis, quae illegitimè natus, ab omni ignominiae macula ex illicito concubitu ipsi adhaerente, ad statum honestatis reducitur, ut patriae potestati subjectus jurium, quibus legitimi fruuntur, capax evadat. Equidem vulgus hominum detestatur & improbat istum modum, neque legitimatum in consortium sui collegii, utpote istius juribus indignum recipere vult; verum tamen non est spectandum, quid imperita plebs judicet; sed quid Legibus sit provisum.

### XXVII.

Olim quinque erant modi legitimandi. 1. *Per nominationem filii.* *Auth. si quis liberos. C. de Natur. lib. N. 117. c. 2.* Qui modus legitimandi non filio tantum, sed & ejus matri proderat, quippe quae praesumebatur legitima patris uxor fuisse. 2. *Per Arrogationem.* *L. 6. C. de Natur. liber.* Quam rationem legitimandi ab *Anastasio* introductam sustulit *Iustinianus* in *L. 7. C. eod. N. 74. c. 3. N. 89. c. 3.* non tamen ipsam *Arrogationem in se spectatam* abrogavit, sed saltem eidem effectum legitimatiōis ademit. *Steph. ad Nov. 74 n. 14. p. 442. Contr. Rittersb. par. 4. Nov. c. 12. v. 22. p. 244.* Licitum itaque mansit civi Romano juxta legum sanctiones extraneum arrogare, sed absque effectu legitimandi. 3. *Per Oblationem Curiae.* *J. 13. inst. de Nupt.* Qui modus à *Theodosio Imperatore* inventus, à *Leone* confirmatus, & à *Iustiniano* explicatus est. *L. 4. C. de Natur. lib. N. 89. c. 2.* Vide *Dn. Præsid. Exercit. de Legitim. concl. 7. n. 3. p. 40. & 41.* Fiebat autem istæ legitimatio, quando pater filium naturalem curiæ istius civitatis, ex qua oriundus erat, offerebat, & *Decurionum* ordini manci-



mancipabat, & adscribi patiebatur. Causa hujus legitimationis fuit *inopia Decurionum*, & quod principale erat, *onera satis gravia, quæ incumbabant Decurionibus*: unde etiam omnibus modis ipsi sæpe eò contendebant, ut ab ista functione possent liberari. Hac ratione constitutum fuit, ut, *filius naturalis, si à patre offerretur Curia, fieret legitimus & ita muneribus municipalibus manciparetur*. L. 3. C. de Nat. lib. Bacchovius ad §. 13. n. 5. Inst. de Nupt. p. 92. Qui modus mutatio Reipublicæ statu recessit ab usu. Gudelin. lib. 1. c. 16. p. 38. in fine de jure noviss. Christinaeus Vol. 3. Decis. 148. n. 18. fol. 574. Non tamen in ejus locum successit Oblatio filii facta monasterio, ut cum pater filium devoveret monasterio. c. 4. caus. 20. qv. 1. Nam onus Decurionatus erat multiplex & grave: Sacra verò, quæ monachi peragunt, nomine oneris venire nequeunt. Deinde Monachi subjiciuntur Abbatis potestati. Auth. ingressi. C. de SS. Eccles. Ideo per oblationem monasterio patria potestas solvitur. gl. ad Lancell. instit. Juris Canonici. p. 276. non ergo per eam, ut quondam per oblationem Curia, patria potestas constituitur. Bacchov. ad Treutler. 2. Thesi. 6. lit. E. p. 30. Hahn. ad VVesemb. de his qui sunt sui vel alien. Juris n. 2. fol. 95. Quod nonnulli intelligentes patriam scilicet potestatem per ingressum monasterii solvi. oblationem tamen istam in locum Oblationis Curiaë successisse negant.

### XXVIII.

4. Per subsequens matrimonium, qui modus legitimationi à Constantino M. fuit inventus L. 5. C. de Natural. lib. à Iustiniano autem approbatus l. 10. & 11. C. eod. omnium perfectissimus & maximè favorabilis est. Rittersh. par. 4. C. 12. n. 8. p. 241. Novel. cæteris legitimationi rationibus præstantior, efficacior, & validior. Philipp. Decius ad c. Cum



*in cunctis. 7. Exi. de Elect. fol. 112. Mozzius de Feudis. p. 227. n. 93. Est autem Legitimationis per subsequens matrimonium quando liberi è concubina, cum qua tempore congressus matrimonium contrahere legibus non erat interdictum, geniti, postea, concubinato in matrimonium converso, intervenientibus instrumentis dotalibus, & legitimi & Sui, & in potestate patris constituuntur. §. fin. Inst. de Nupt. L. 6. C. de Natur. liber. N. 12. c. 4. N. 74. c. 8. Hujus Legitimationis Subjectum sunt liberi ante nuptias jam tum nati: nam qui ante nuptias saltem concepti sunt, postea tempore constantis matrimonii nati, non Legitimati; sed Legitimi sunt, quoniam in quæstionibus ubi de statu liberorum dubitatur, non conceptionis; verùm partus tempus inspicitur, nisi istis liberis aliquando magis profic tempus conceptionis, quod justum est è principiis à favore deductis. Molin. Tract. 2. disp. 172. n. 2. fol. 671. de 1. & 1. Ita si desponsati ante benedictionem sacerdotalem congregiuntur, tum partus licet ante debitum & justum tempus edatur; tamen legitimus est, quoniam perfectò per consensum matrimoniò conceptus est, & parentes tempore editi partus in matrimonio inveniuntur. Vide Hahn. ad Vvesemb. de his qui sunt sui vel alien. Iur. n. 2. fol. 95. Deinde mulier, ex qua liberi geniti sunt, de Jure Civili debuit esse Concubina, quæ domi habita fuit loco uxoris. Bart. ad l. 3. ff. de Concub. ut, qui è concubina natus non esset, sed ex alia soluta uxore, etiamsi tempore congressus cum ipsa conjugium celebrare non esset prohibitum, tamen de Jure Civili legitimari non potuerit. Iure Canonico autem & alii, qui è soluto & soluta nascuntur, si matrimonium inter illos subsecutum fuerit, legitimari possunt, Schneidew. ad Tit. Inst. de Patr. potest. n. 21. p. 67. modò tempore conceptionis inter illos possit esse conjugium. Brunner. ad L. 10. & 11. n. 7. C. fol. 597. Et hoc verum*

rum



rum est, etiamsi nuptiæ cum tali uxore in articulo mortis fuerint celebratæ. *Covarr. de Matr. par. 2. c. 8. §. 2. n. 10. fol. 224. Molin. Tract. 2. disp. 172. n. 13. fol. 675. de l. & l. Gail. l. 2. Obs. 141. n. 8. p. 585.* ubi tamen per vocem *Articuli* non ipsum mortis momentum intelligitur, utpote, quod ibi consensus esse nequeat; sed latè vocabulum istud accipitur, nempe ut contractum dicatur matrimonium ab homine valdè egroto, & de sanitate recuperanda ferè desperante. Confer *Dn. Præs. in dict. Exercit. de Legitim. concl. 7. n. 4. §. 6. p. 47.* Imprimis voluit Imperator, ut in tali conjugio instrumenta dotalia intervenirent, §. 13. *Inst. de Nupt. L. 6. l. 10. & l. 11. C. de Liber. natur. N. 12. c. 4. N. 18. c. 11. N. 19. in præf. N. 78. c. 4. N. 89. c. 8 §. 1.* Aliud tamen constitutum est de iure Canonico. *VVurmser. l. 1. Tit. 10. Controv. 15. p. 159. Nacl. Controvers. Iur. quippe è cujus dispositione in tali casu sufficit superveniens matrimonium, & tabulæ dotales non requiruntur. per c. 6. Ext. Quis sunt leg.* Et ibi *Henric. VVagnereckius fol. 777. Confer Bacchov. ad. §. 13. Inst. de Nuptis. p. 92.* Qui autem hoc modo legitimantur, illi per omnia sunt legitimi, adeoque sui heredes, nec non iura consanguinitatis & agnationis consequuntur. §. 2. *Inst. de hered. que ab intest. N. 12. c. 4.* Causa, quare Legitimati per matrimonium perfectè sint legitimi, hæc est, scilicet *fictio juris translativa*, quâ in naturalibus liberis ante nuptias natis retrahitur tempus matrimonii ad tempus natiuitatis, ita ut matrimonium contractum esse censeatur, antequam filii extra nuptias sint nati, & ita ab initio & retrò liberi & semper legitimi esse videantur; quandoquidem & subsequens matrimonium purgat omnem maculam. *Gail. l. 2. Obs. 141. n. 1. 2. p. 581.* Ideo etiam nec receptio in Collegium Opificum, nec attestata natalitia ijs denegari debent. *Hahn. ad VVesemb. De his qui sunt sui*  
vel



*vel alien. Iur. n. 2. fol. 94. Carpzov. l. 2. defin. 236. n. 8. 9. & seqq. fol. 352. Iurispr. Consistor Et par. 2. Const. 6. defin. 12. fol. 423, & Definit. 15. per tot. fol. 425. Iurispr. Forens. in Feudo autem an Legitimus per subsequens matrimonium succedat, quidam constanter negant, per 2. F. 26. §. Naturales. Ideo, quod fictioni juris civilis in feudo non sit locus. Bacchov. ad Treutler. de his qui sunt sui vel alien. jur. Lit. F. p. 30. Attamen Ioachimus Mynsing. Cent. 5. Obs. 42 p. 431. dicit: in Camera fuisse contrarium decisum: quam sententiam tuetur Sigism. Finckelth. Disp. Feud. 6. n. 13. p. 180. Confer quae habet Dñ. Praeses. de Legitim. concl. 11. p. 79. & 80. ubi multos huius sententiae assertores allegavit. Per egregiè hanc controversiam Caspar Burschius in Com. ad 2. F. 26. §. Naturales p. 414. & seqq. tractavit, qui videri poterit.*

XXIX.

5. *Per Rescriptum Principis*, cum Imperator liberos naturales, qui per subsequens matrimonium legitimi non sunt, ad supplices preces honestis natalibus restituit. *Aurb. Praeterea. C. de Natural lib. N. 89. c. 9.* Quomodo etiam vel spurios hodie legitimari quotidiana testatur praxis. *Koppen lib. 1. Obs. 52. n. 27. fol. 138. Rebhan in Hodog. Iuris char. 2. clim. 1. n. 39. p. 134. Hodog. Iuris.* Duplīciter fit Legitimatio per Rescriptum (1) *Immediatè* cum Princeps ipse illegitimè natis maculam ob defectum natalium honestorum illis adhaerentem abstergit, eosque in statum & conditionem legitimè natorum reponit. (2) *Mediatè* per *Comitem Palatinum*, cui potestas legitimandi à Summo Principe est concessa. *Rittersh. p. 4. cap. 12. n. 9. Nov. pag. 242.* Quod enim ex concessione Imperatoris fit, illud perinde habetur, ac si ab ipso Imperatore factum sit. *Nolden. c. 2. n. 201. p. 51. de Nobilib.* Vnde & hīc accommodari potest, quod habetur in *L. 1. §. 6. C. de V. l. E. suum factis*

factis



*facit Princeps, cui suam imperitur auctoritatem. Vide Dn. Præsid. Exercit. de Legitim. p. 53. & 54. Interim, si hoc petatur, Comes Palatinus obstrictus est exhibere tenorem Diplomatis sibi concessi ad inspiciendum: ex quo apparere queat, quot & quales demum actus de Reservatis Principis ipsi competant; non enim æqualis potestas istis Comitibus est concessa: nam alii hunc, alii istum vel alium actum exercere possunt. Vide Job. Francisc. Balthas. Tit. 3. Resol. 1. n. 23. p. 253. & 254. Extra tamen imperium istæ potestas à Comite Palatino exerceri nequit: cum ne quidem Dn. Concedentis potestas extra fines Imperij sese extendat; intantum, ut in terris Ecclesiæ Pontificiæ Imperatori istud jus legitimandi non competere nonnulli audacter contendant. Confer Conrad: Lancellos. in Templ. omnium Judic. lib. 1. c. 1 §. 4. p. 405. & 406. nisi Majestatis civilis subditi extra illud saltem ad tempus degant. Effectus hujus Legitimationis est, quòd legitimatus habilis efficiatur ad gradus, honores & successiones non aliter, atque si è legitimo natus esset matrimonio. Matth. Steph. l. 2. par. 1. c. 6: memb. 1. n. 29. & n. 49. p. 67. & seqq. de Jurisdic. Proinde ejusmodi legitimatus ius civitatis consequi, & in ordinem civium, nec non in collegia opificum admitti & recipi potest, imò, si hoc petiverit, illud ei denegari non debet. Numquid autem Legitimus ex Rescripto Principis sit capax successionis Feudalis, valdè inter Doctores controversatur. Quidam doctores legitimos planè non succedere in Feudo, moti textu, qui habetur in 2. Feud. 26. §. Naturales, ubi Feudista ait: Naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem Feudi. nec soli nec cum aliis admittuntur. Rosenthal. c. 7. concl. 19. n. 5. de Feud. fol. 285. Schrader par. 7. c. 5. n. 23. fol. 166. Tiraquell. c. 23. n. 16. de Nobil.*

D

Nobil.



Nobil. fol. 97. Sigism. Finkelth. disp. Feud. 6. concl. 13. Feud. pag. 179. nisi quis specialiter ad Feudum fuerit legitimatus. VVesemb. par. 1. Consil. 44. n. 43. fol. 1154. quam sententiam quidem Covarruvias par. 2. de matrim. §. 8. n. 6. fol. 242. & 243. vocat communem; sed alii non sine ratione docent: *Legitimum ex Principis Rescripto non succedere in feudis, etiamsi specialiter ad Feudum fuerit legitimatus, nisi Domini & Agnatorum consensus intervenerit.* Somsbec. par. 9, de Feud. n. 69, fol. 26. Hartm. Pistor. l. 2. Qv. 40. n. 14. fol. 781. Verùm ut breviter me expediam (1) Principis Rescripto legitimatus in feudo non succedit, nisi speciali quadam gratia ad istam successionem feudalem legitimatus fuerit saltem in genere. Petr. Nicol. Mozzus. de Natural. Feud. n. 91. pag. 225. Ruin. Vol. 1. Cons. 36. n. 28, fol. 95. Rosenthal. c. 7. concl. 19. n. 11. synopsis. Feudal. fol. 206. Herman. Vultrijus. lib. 1. c. 9. n. 192. & seqq. de Feud. pag. 433. & 434. (2) Comes Palatinus ad Feudi successionem illegitimè natum legitimare non potest nisi expressam in Diplomate Cæsareo potestatem legitimandi ad hunc effectum sibi concessam habeat. Petr. Paulus Paris. Vol. 2. Consil. 1. n. 123. fol. 7. Julius Clarus. §. Feudum. Qv. 82. n. 3. fol. 281. Andr. Gail. l. 2. Obs. 142. n. 13. pag. 586. Ludolph. Schrader par. 7. cap. 5. n. 26. de Feud. fol. 167. Rosenthal. cap. 7. concl. 19. n. 9. synopsis. jur. Feudal. fol. 206. (3) distinguo inter *Feudum Novum & Antiquum*. Quod ad feudum novum attinet, nullum est dubium, legitimatum in eo succedere posse, si Dominus expressè istum ad successionem admitti voluerit. Aliud tamen est dicendum de feudo antiquo; nam in eo legitimatio ad successionem directam non potest præjudicare Agnatis, utpote quibus jam tum à primo acquirente jus circa successionem quaesitum eo modo non potest interverti; nisi in Diplomate legitima-

legitima-



legitimationis hæc clausula reperitur: *Non obstantibus iuribus in contrarium disponentibus.* Rosenthal. cap. 7. concl. 29. n. 22. fol. 206. de Feud. Valentin. Forsterus l. 6. c. 39. n. 2. 4. p. 956. & 957. de succes. ab intest. cui tamen sententiæ non sine causa subscribere verentur alii. Vide H. Pistor. l. 2. qu. 40. n. 24. & seqq. fol. 781. & seqq. Adde Fachin. l. 7. controu. 49. & 50. p. 575. 576. Carpzov. par. 3. Const. 28. de fin. 16, n. 11. & sequent. fol. 1201. (4) Limitatur tamen opinio de successione legitimatorum in Feudo, ut illa saltem intelligenda sit de feudis regalem dignitatem annexam non habentibus, cum ad eam generalis istæc legitimitatio non sit extendenda. Sixtin. de Regal. l. 1. c. 3. n. 34. p. 73. 74. H. Pistor. l. 2. Qu. 40. n. 6. fol. 777. & seqq. Vide plura apud Iohan. Francisc. Balthas. Tit. 3. Resolut. 1. n. 28, 29. & seqq. pag. 255.

### XXX.

Tertius modus constituendi patriam potestatem est *Adoptio*. Est autem Adoptio actus legitimus, quò is, qui filius naturâ non est, filius vel etiam nepos efficitur. Theophilus p. 76 ita Adoptionem describit, quòd sit *Actus legitimus, quo in locum filiorum familias asciscuntur extranei in solatium eorum, qui liberos non habent, inventus.* Ratio adoptionis est, ut qui liberis carent, sive eos planè non habuerint, sive illis bello vel aliis casibus orbati fuerint, liberos assumant ad familiæ conservationem. Vnde non ad tempus assumitur quis in filium, l. 34. ff. de Adoptionib. etiamsi ex causa quadam legitima vinculum adoptionis solvi possit, per §. 3. Inst. de Adopt. §. 1. & 2. inst. de Nupt. Verùm de hoc modo constituendi patriam potestatem alibi commodius agetur.

### XXXI.

Nunc autem paucis est explicandum: *Quinam sicut*

*D 2*

*patrie*



*patria potestatis effectus & quorsum is se extendat? Certè in liberis in potestate constitutis tria possunt considerari, circa quæ patria potestas vim suam exserere queat. 1. ipsorum persona, seu quatenus sunt liberi legitimâ generatione producti. 2. Bona seu res, quæ vel Jure proprietatis, vel peculiatus ad illos spectant, vel alia ratione illis adveniunt. 3. Actiones, & hæ considerari possunt, quatenus vel mortis causa, vel inter vivos: & hæ iterum vel extra judicium, vel in eo exercentur. Argumentor ita: Quæcumque in liberis sese exserunt, circa quæ patria potestas vim suam exercere potest, illa demum sunt, ad quæ effectus istius potestatis se extendere valet.*

*Sed tria sunt in liberis &c. E.*

Majoris consequentia est clara, quia effectus non potest plura sub se continere, quàm ipsa causa, unde effectus resultat. Ubi tamen h. l. per *effectum* non præcisè intelligimus illam rem, quæ à causa efficiente per quendam verum & realem influxum dependet: sed *certa quædam jura*, quæ patri, quatenus is liberos sub sua potestate habet, & quidem ratione istius potestatis ipsi concessæ circa liberos suos competunt. Quæ jura autem latius suam vim exserere nequeunt, quàm ipsa patet potestas. Minor est manifesta, *quia plura non sunt in liberis, circa quæ patria potestas versari, & vim suam exserere poterit, quàm quod vel eorum persona, vel res aut bona, vel actiones spectentur.*

### XXXII.

In quibus tamen Romani sese intra terminos Juris naturalis non continuerunt; sed latius evagati talia ordinârunt, quæ apud alias gentes temerè non reperiuntur. Volverunt siquidem præ cœteris populis peculiarem rigorem circa liberos suos introducere & velut re  
bene.



benegestâ de se gloriari, quasi proprium quoddam Jus ratione liberorum haberent. Ea de causa quoque plurima ab illis tum quæ ad personas, tum quæ ad bona & actiones liberorum sunt constituta, quæ non è juris naturalis principis, sed ex illorum Legibus positivis dependent. Quæ quodammodo in medium quoque producant, ut cuivis manifestum fiat, quantum Romani in hoc argumento Juri naturali addere, & ejus limites penitus excedere voluerint.

### XXXIII.

Et quidem quod ad ipsam liberorum personam attinet (1) Pater olim habuit jus vitæ & necis in liberos potestati suæ suppositos. De quo scribit Dionys. Halicarn. lib. 2. fol. 96. & 97. Antiqu. Rom. sequentia: Romanorum Legislator omnem potestatem dedit patri in filium, idque toto vitæ tempore; sive in carcerem eum detrudere, sive flagris cadere, sive vinculum ablegare ad rustica opera, sive NECARE liberat; etiamsi filius tractet Rempublicam, etiamsi Magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga rempubl. laudem sit promeritus. Quam legem ab initio à Romulo latam, & postea inter LL. XII. Tabb. receptam esse, constans & veterum pariter & recentiorum est traditio. vide Gothofr. ad Tab. IV. pag. 72. & 73. Istud Jus autem Romanis competitivisse, præter Dionysium ostendit l. 11. ff. de lib. & posth. hered. instit. ut & l. 10. C. de parr. pot. Verùm istam rigidam potestatem ipsi postmodum Romani sustulerunt. L. ult. C. de parr. potest. quippe quòd patria potestas non in atrocitate, sed in pietate consistere debeat. l. 5. ff. de L. Pomp. de Parric. ut proinde pater, qui filium suum occidit, pœnâ in parricidas statutâ non immeritò sit afficiendus. l. unic. C. de his qui parent. vel lib. occid. Certè iniquum, & reipublicæ perniciosum est, licere patri filium vel Jure vel injuria absque legitima causæ cognitione occidere, quod

D 3,

ne qui.



ne quidem iudici & Magistratui concessum est. Vide  
*Enenckel. c. 1. de privil. par. & liber. n. 7. p. 34.* quamvis  
tamen vestigium veteris juris adhuc superesse credatur in illo  
patre, qui filiam suam in adulterio deprehensam interficere pot-  
est. *l. 20. ff. ad l. 1ul. de Adulz.* modò utrumque occidat  
& neutri parcat *l. 32. ff. eod.* & cœtera observet, quæ fu-  
sè persecutus est *Philipp. Paschalis par. 1. c. 5. per tot. de Vi-  
rib. patr. potest. fol. 114. & seqq.* Licet autem pater filium  
suum graviter delinquentem interficere nequeat; casti-  
gatio tamen moderata ei adempta non est, *l. 3. C. de patr.  
potest. cum non semper osculari, sed & quandoque ca-  
stigare oporteat filium. c. 3. non osculatur. s. qu. 5.* Vide  
*Leonis Nov. 105.* sicuti & Senioribus permissum est iure pa-  
trio minores castigare, *L. unic. C. de Emend. propinq.* quæ  
correctio dicitur domestica absque acerbitate non ad vindi-  
ctam, sed ad emendationem tendens, atque ita & docenti  
levis castigatio concessa est. *l. 5. ff. ad l. Aquil. ita, ut omnis  
absit seviria & crudelitas.* Unde pro regula ponendum:  
*Quod nec in parente, nec praeceptore, nec Magistratu, nec ma-  
rito, si emendare velint filium, discipulum, subditum, aut uxo-  
rem, impunita debeat esse crudelitas. l. unic. C. de his qui par.  
vel lib. occid. l. 7. ff. ad l. Aquil. Ascan. Clem. c. 6. Effectus.  
1. n. 14. p. 48. de Patr. pot. Boer. Decis. 304. n. 2 3. fol. 625.  
Menoch. l. 2. cas. 138. n. 5. 6. fol. 319. de A. 1. Qu. Volizius  
ad l. Cornel. de Sicar. c. 7. n. 54. & seqq. pag. 672. & seqq.*  
Quod si tamen filius se immorigerum præbeat, bona  
sua dilapidet, & inutiliter profundat, aliisque turpibus  
sceleribus sese commaculet absque ulla spe emendationis, tum  
pater eum poterit iudici puniendum offerre, qui itidem è Re-  
scripto patris tenetur ferre sententiam *l. 3. C. de patr. potest.*  
cui non adversatur quod dicit *Ulpianus in l. 9. §. 3. ff. de  
Offic. pro Cos. & leg.* Hodie tamen dicta *l. 3. C. de patr. potest.*  
non

non



non observatur, ne pater irā commotus rigidius quā par  
est, supplicium liberis irrogari faciat: verūm pœna in tali ca-  
su unicè iudicis arbitrio committitur, de quo legi poterit  
Iob. Philipp. in *Vsu Practico Institur.* lib. 1. Tit. 9. §. 6. n.  
14. 15. 16. p. 173. & seqq. ubi aliquot præjudiciis hanc senten-  
tiam statuminat. Interim quando pater filium inobedi-  
entem vult castigare, tum filio licitum non est, adver-  
sus patrem se defendere, & patrem verberantem reper-  
cutere: Vbi enim permissa est offensio, ibi injusta est defensio  
inquit *Ascan. Clement. de Patr. potest. c. 6. effectus. 1. n. 15.*  
*p. 48. Hieronym. Treutler, Consil. 110. n. 97. fol. 474.* Hoc est,  
uti *Volzcius ad l. Cornel. de Sicer. c. 7. n. 18. p. 637.* explicat:  
ubi est oburgandi, castigandi, & verberandi autoritas, ibi nos  
manet audiendi, obtemperandi, & perferendi necessitas. V-  
bi latissimè materiam castigationis paternæ & domini-  
cæ eleganter deducit. Hinc si pater delinquentem filium,  
quando is illius castigationi resistit, & eum reverberat, justā  
indignatione commotus occidit, tum is parricidii vel aliā pœnā  
non tenetur, quod illicita sit filii defensio contra licitam  
patris correctionem. *Hippol. de Marsil. ad §. Aggredior.*  
*n. 78. & 79. fol. 504. Practic. Crimin. Enenckel. de Privil. par.*  
*& liber. privil. 1. n. 23. p. 39* Similiter quantumvis nemi-  
ni concessum sit privatim habere carcerem *l. un. C. de*  
*priv. carcer. inhib.* tamen si pater filium immorigerum  
ad tempus saltem in certo quodam conclavi includat,  
in pœnam privati carceris non incurrit, cū hoc non  
ob custodiam, sed saltem ob correctionem morum faciat.  
*Cynus ad l. unic. C. de priv. carc. inhib. n. 4. fol. 541. lat. b.*  
*Tiber. Decian. lib. 7. cap. 10. n. 5 fol. 152 Prax. Crimin. Har-*  
*precht ad §. 2. Instit. de Patr. potest. n. 12. p. 295. Schneider v.*  
*ibid. n. 27. p. 69 & 70.* Moribus nostris receptum est, ejus-  
modi immorigeros liberos *citra infamiam tamen detrudere*



*in domus disciplinarias, quæ dicuntur Zuchthäuser. Besold. in Thes. Practic. fol. 965. Bornitius. Tract. 2. c. 5. p. 74. de rer. suffic. Speidel. in Notabilib. verbo Zuchthaus. fol. 1386.*

XXXIV.

II. Pater potest filium suum urgente hoc summâ necessitate vendere. Equidem alienatio liberi hominis de Jure est prohibita per l. 63. ff. de Condict. Indeb. l. 38. §. 3. ff. de Solut. l. 2. l. 5. C. de Eviçt. quia non est in commercio, & ideo sciens emi nequit, l. 34. §. 2. ff. de contrab. Emi. cum nec æstimari queat, l. 3. ff. si quadrup. pauper. fecisse dic. l. 7. ff. de his, qui effud. in tantum, ut qui filium familiâs saltem pignori sciens acceperit à patre, relegandus sit. l. fin. ff. Quæ res pign. obl. non poss. Attamen favore paupertatis, quâ miserabilius incommodum non reperitur, *Ascan. Clem. c. 6. Effectu. 1. n. 10. p. 47. de Patr. potest. & cum primis ex necessitate famis, ita ut nec ipse sibi, nec alendis liberis sufficere possit (non tamen ob aliam aliquam causam piam)* venditio filii permittitur. l. 2. & ad eam *Cynus fol. 261. C. de patrib. qui lib. distraxer. Andr. Tiraquell. de Retr. Consang. §. 26. gl. 1. n. 16. & 17. fol. 282. Cornel. Benincas. de privil. paupert. p. 869. n. 15. An verò in l. 2. C. d. 1. vox sanguinolentos vel sanguinolentus legi debeat, de eo consuli possunt Cynus ad l. 2. C. de Patrib. qui fil. suos distrax. fol. 261. Alberic. Gentil. lib. 4. c. 1. de Nupt. pag. 295. Faber. Tit. 8. Illat. 2. de Jurispr. Papin. scientia. p. 312. Borchold. ad pr. Instit. de Patr. potest. n. 4 p. 39. Enenckel de privil. par. & liber. priv. 21. p. 1027. Philipp. Paschalius: par, 1. c. 1. n. 14. fol. 8. de Virib. Patr. potest. Interim venditio filii non præjudicat ejus statuj ingenuitatis. Nam si pretium restituatur emtori, aut mancipium ei loco istius offeratur, venditus pristinam ingenuitatem recipit. *Ascan. Clem. c. 6. Effectu 1. n. 1. p. 45. de Patr. potest. Harprecht ad pr. Instit. de Patr. potest. n. 21. 22. p. 297. &**



297. & 298. *Vngepaur Exercit. Justin. 3. qu. 3. in fin. p. 121. 122.*  
*Vide Dn. Praesid. ad Polit. lib. 1. c. 3. p. 59.* Quin pater  
à filio, ut redimatur, cogi potest, si is ad meliorem for-  
tunam pervenerit. *Didac. Covarr. lib. 3. c. 14. n. 4. Variar.*  
*Resolut. fol. 268. Benincas. p. 872. n. 28. de privil. pauperum.*  
Quod si tamen filius sacrum ordinem suscepit, vendi ne-  
quit: eapropter filio, si viderit patrem suum extremâ  
laborare inopiâ, ob metum venditionis, sacrum ordinem  
assumere non licet. *Francisc. Maria Pratus ad par. 1. c. 1.*  
*Paschal. de Viribus. parr. potest. fol. 24. Benincas. p. 872.*  
*n. 29. de Privil. pauperum.*

XXXV.

III. Pater quoque filium vindicare potest, non  
quidem ea actione, quæ specialiter dicitur *Rei vindica-*  
*zio*, quia hæc actione ea saltem petuntur, quæ sunt in no-  
stro dominio; sed aut *Præjudiciis*, aut *interdictis*, aut *co-*  
*gnitione Prætoria*. l. 1. §. 2. ff. de R. V. (1) *Præjudicio*, id  
est, *actione præjudiciali* per §. 13. *Inst. de Act.* comparata  
contra filium se in potestate esse negantem. l. 9. de *Parr.*  
*potest.* ubi sufficit, si pater fateatur: *parium à se esse agnitum.*  
(2) *Interdictis*, quibus pater contra extraneum, qui de-  
tinet filium, utitur, ad hoc, ut filium exhibeat, eum-  
que patri abducere liceat. T. tit. ff. de *lib. exhib. & duc.*  
*Enenckel privil. 1. c. 10. p. 63. de privil. par. & liber. Colleg.*  
*Argentor. ff. de his qui sunt sui vel alien. Iur. n. 15. p. 45.* (3)  
*Cognitione prætoria*, quâ opus est, an filius, qui se ne-  
gat esse filium, sit in patris potestate, aut aliquid interve-  
niat, unde dubitari possit, an is sit in ejus potestate.  
*Faber. Tit. 8. Princ. 6. Illat. 10. p. 318. Iurispr. Papin. Con-*  
*fer Arium Pinell. par. 2. Rubr. C. de bonis matern. n. 5. p. 40.*  
*41. Schneidew. ad Instit. de Parr. potest. n. 37. p. 71.*

E

XXXVI.



IV. Pater filio impuberi tutorem dare, eique pupillariter substituere valet. §. 3. Inst. de Tutel. l. 73. §. 1. ff. de R. I. pr. Inst. de pupill. substit. l. 2. ff. de Vulg. & pupill. substit. Afcan. Clem. c. 6. Eff. 15. n. 1. 2. & seqq. de Patr. potest. p. 139. & 140. Philipp. Paschal. par. 1. c. 9. n. 1. 2. fol. 239. de Virib. patr. potest. Inde filius non dicitur intestatus decedere, cui pater substituit pupillariter: adde Harprecht, ad §. 2. Inst. de Patr. Potest. n. 36. & 37. p. 301. Verùm illud unicum hinc saltem attingam, numquid pater, qui suorum liberorum perpetuus tutor esse creditur, iure tutelæ excidat, quando is ad secundas nuptias transit? quod putant nonnulli dicentes: In odium secundarum nuptiarum hoc constitutum esse in muliere, ut si illa secundas nuptias contrahat, privetur liberorum suorum tutela: Inde è natura correlativorum æqualitas attendenda est, quippe quòd pœna secundò nubentium viro & uxori ad secunda vota transeuntibus sint communes: vide Petr. Ancharan. Conf. 247. n. 2. fol. 491. Andrean. Tiraquel. ad l. Boves. §. hoc sermone. n. 156. fol. 188. Chassaneum ad rubr. 6. §. 8. n. 6. 7. & 8. Consuet. Burgunden., fol. 1034. Quam sententiam communem vocat Philipp. Decius Conf. 87. n. 3. fol. 100. Et Conf. 230. n. 1. fol. 255. Verùm nullibi in Jure cautum legitur, patrem ob secundas nuptias tutelâ liberorum privari, sicuti illud dispositum est de matre ad secunda vota transeunte. Raphael Fulgos. ad l. 6. n. 4. C. ad Sen. Trebel. fol. 459. Gomez. ad l. Tauri. l. 14. 15. 16. n. 13. & 15. fol. 118. & 119. Dispositio siquidem quæ loquitur de matre, non est extendenda ad patrem: quippe quòd casus pœnales sint stricti iuris, nec recipiant interpretationem extensivam. Decius Conf. 380. in fin. fol. 417. Petr. Duennas Reg. 287. fol. 398. Paul. Montan. c. 15. n. 113. 114. & seqq. p. 225. & 236. de Iure Tutel. Patria potestas namque

NON



non tollitur per secundas nuptias, cum & in tali casu pat-  
terni nominis pietas optimum consilium capere praesumatur pro  
liberis l. 22. ff. ad L. iul. de Adulter. Et ita pridie Kal. Maij.  
hujus anni a nobilissima Facultate Iuridica hic pronunci-  
atum esse retulit mihi Dn. praeses.

XXXVII.

Visis illis, ad quæ patriæ potestatis effectus quoad  
personas liberorum se extendit: porro dispiciendum erit  
II. De vi & effectu patriæ potestatis circa eorum bona: nam & hic  
præclara & olim obtinuisse, & ex parte vel hodie obtine-  
re sequentia monstrabunt. Et quidem respicit hic Effe-  
ctus.

XXXVIII.

I. Bonorum acquisitionem. Nam quicquid olim fi-  
lius familias acquirebat, illud acquirebat patri. §. 1. Instit.  
per quas poss. cuique acquir. & quidem absque ulla distin-  
ctione bonorum, ita, ut ne momento quidem res acquisita  
apud filium manere potuerit l. 79. ff. de acquir. vel amit. hered.  
ratio est, quia qui in potestate est, nihil suum habere potest. l.  
10. pr. ff. de acquir. rer. domin. unde etiam quod ipsi acqui-  
rebat, alienare non poterat. l. 3. C. de patr. potest. Ex quo  
illud infertur: Patrem filio donare non posse. l. 1. §. 1. ff. pro  
donato. l. 13. C. de collat. l. 25. C. de donat inter vir. & uxor. &  
si hoc fiat, potius esse paternæ voluntatis destinationem, quàm  
perfectam donationem. l. 11. C. & ibi Brunnem. fol. 1058. de  
Donat. cum perinde esset, ac si pater sibi ipsi donaret, ob  
jus potestatis. Gomez. Tom. 2. c. 4. n. 25. fol. 279. var. resolut.  
unde dominium rei donatæ in ipsum nec transferri, nec  
apud eum subsistere potest, sed statim ad patrem reverti-  
tur. Ascan. Clem. c. 6. effect. 2. n. 2. p. 53. de patr. potest. Me-  
noch. l. 3. pras. 29. n. 2. fol. 361. de prasumpt. Euenchel. Priv. 5.  
n. 4. & 5. p. 329. de priv. par. & liber. oportet namque  
E 2 inter



inter dantem & accipientem personale discrimen intercedere. *Gail. l. 2. Observ. 38. n. 4. p. 352.* cùm contra fictione *Juris* pater & filius habeantur pro una persona. *l. ult. C. de impub. & al. substiz.* Adde *Bocer. c. 3. n. 6. p. 47. de Donat. nisi morte confirmetur donatio. l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor. Nov. 162. c. 1. in fin. Ascan. Clem. d. cap. n. 33. p. 59. de patr. potest.* quod licet *Jure Digestorum* videatur dubium ob *l. 1. §. 1. ff. pro donato.* *Jure tamen Codicis* per *l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* est certum: Vel nisi donatio fiat *matrimonii causa*, per *l. 35 ff. famil. hercisc. Philipp. Paschal. par. 1. c. 4. n. 34. & seqq. fol. 87. de virib. patr. potest.* Plures exceptiones ab hac Regula videri possunt apud *Gail. l. 2. Obs. 38. n. 5. 10. 14. 16. p. 352. & seqq. Barbosa ad l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor. fol. 471. & seqv. Menoch. l. 3. pres. 29. per tot. fol. 362. & seqq. Bocer. c. 3. per tot. de Donat.* An verò pater *studiorum causa* validè donare possit, valde disceptatur inter Doctores ob *l. 50. ff. Famil. ercisc.* quorum sententiæ reperiri possunt apud *Menoch. dict. presunt. 29. n. 85. 86. fol. 268.* Et *Acac. Enenck. privil. s. n. 24. p. 345. & seqv. de privil. par. & liber.* Certè si pater filium destinavit studiis altioribus, utique ei sumtus ad istum finem assequendum donare tenetur, quæ donatio ob favorem reipublicæ sustinetur. *Finckelth. Observ. 11. n. 9. p. 70.* Aliæ impensæ, quæ ad educationem & studia minora pater liberis suppeditat, ad alimenta pertinent. Non obstante *l. 6. ff. de alim. & cib. leg.* illa enim *Lex* ab alimentis excludit ea, quæ ad culturam animi & disciplinam pertinent quando illa ex dispositione hominis debentur, secus quando ob consanguinitatem ex *Edicto Prætoris & jussu Judicis* debentur. *Surdus de Alim. Tit. 4. qu. 6. n. 4. 5. 6. fol. 172. Job. Bapt. Pontan. c. 17. n. 20. 21. p. 92. & Coter. lib. 2. n. 10. n. p. 497. de Alim.*



II. *Bonorum adventitiorum administrationem.* Pater enim est legitimus administrator bonorum ad liberos pertinentium: quia videtur paternum officium hoc desiderare, ut ipse filii bona tueatur ac defendat. *Azo in rubr. C. de bon. matern. fol. 107. lat. b. Paris. par. 4. Cons. 109. n. 7. fol. 127.* Unde ille ea administrare potest, liberis quantumvis invitis: imò licet patri bonorum adventitiorum usufructus testamento sit ademptus. *Dd. ad l. 6. C. de bon. qua lib.* Habet quoque pater majorem auctoritatem in bonis liberorum, quam tutor in bonis pupilli. *Arius Pinell ad l. 1. par. 2. n. 16. 17. de bon. matern. p. 140. Philipp. Paschalis par. 1. c. 2. n. 2. fol. 34. de Virib. patr. potest.*

(III). *Bonorum alienationem.* Nam quoniam pater bonorum ad liberos spectantium habet administrationem, non immeritò quæritur: *An non illa & ipse possit alienare?* Respondeo distinguendo. Vel enim sunt bona adventitia, quæ à matre, vel occasione matris, vel ab extraneis, vel etiam à cognatis, sive ex testamento, sive titulo donationis, vel aliis modis, & ita aliunde, quam à patre adveniunt, per *§. 1. Inst. per quas pers. l. 6. & l. 8. C. de bon. qua lib. in pot. Saporra ad rubric. C. de Collat. n. 14. p. 9.* Vel sunt bona Castrensia seu Quasi castrensia. Illa sunt, quæ à filio familias milite, vel in militiam eunte, vel occasione militia acquiruntur, & quæ nisi militaret, acquirurus non esset. *l. 11. ff. de Castrensi. pecul. l. unic. C. eod. lib. 12. pr. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam.* Hæc verò sunt, quæ à filio familias ex quasi militia velejus occasione licitè sunt acquisita. ut quæ filii familias pro studio & opera erga Rempublicam vel Ecclesiam *l. 50. C. de Episc. & Cleric. vel tanquam Advocati sibi acquirunt. l. 4. l. 8. & 14. C. de Advoc. div. jud. quò pertinent, qui in dignitate & administratione publica constituti publica*



consequuntur salaria. *l. ult. pr. C. de Inoffic. Testam.* Quâ de  
distinctione legi poterunt *Bonacina de Contractibus. Disp. 2.*  
*Qu. 10. punct. 1. p. 272. Brunner. c. 4. n. 1. 2. & seqq. p. 151. &*  
*seqq. de Collat. bonor.* Quod ad bona Castrensia vel Quasi-  
castrensia attinet, illa cum nec illorum proprietatem, nec  
usum fructum, imò nihil juris in illis habeat pater, quam-  
diu filius vivit, *l. 10. ff. & l. 3. C. de Castr. pecul.* sed contra fi-  
lius in illis habeat plenum dōminium & liberam potesta-  
tem statuendi, *pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 16. §. 2.*  
*C. de usufr. l. 6. C. de bon. quæ lib. in potest.* quin potius eorum  
respectu habeatur pro patrefamilias *l. 2. ff. ad Scit. Macedon.*  
pater alienare, distrahere, aut quocunque modo ad alium  
transferre non potest, per *l. 12. & l. 18. §. 1. ff. de Castr. pecul.*  
Sed bona adventitia, quorum usufructus ad patrem spe-  
tat, & in quibus liberi proprietatem retinent, *§. 1. Inst.*  
*Per quas pers. l. 2. C. de patr. pot. l. 6. pr. C. de bon. quæ liber.* tan-  
quam administrator potest etiam absque *DECRETO* alie-  
nare, modò *justa alienandi causa* adfuerit. *l. 8. §. 4. C. de bon.*  
*quæ lib. qualis causa est solutio aris alieni, ut & causa alimentorū:*  
*præstatio Legatorum & fideicommissorum, quando alij redditus*  
*non sufficiunt: aut quæ res hereditati sunt vel onerosæ, vel et-*  
*iam damnosæ. d. l. 8. §. 4. & 5. C. de bon. quæ lib. Ascan. Clem.*  
*c. 6. Effectu 2. n. 48. p. 66. de patr. potest. Matth. de Afflict. De-*  
*cis. 393. in pr. p. 598. Vincent. de Franch. par. 2. Decis. 665. n. 1.*  
*fol. 316. Enenckel. privil. 4. c. 4. n. 13. p. 301. de Privil. par. &*  
*liberor.* Dico absque *Decreto*, scilicet quando filius ad-  
huc est in potestate constitutus, tum enim patris autoritas  
*Judicis loco supplet Decretum*, licet defectum *justæ causæ* sup-  
plere non possit. *Jacob. Menoch. lib. 2. casu. 171. n. 54. fol. 354.*  
*de A. 1. Qu. Octav. Simoncell. l. 3. tit. 8. inspect. 1. n. 3. p. 372. 373.*  
*de Decret. minor. Roland. à Valle lib. 1. consil. 99. n. 39. fol. 386.*  
*Dicastillo c. 3. n. 68. & 79. fol. 36. de Usufruct.*



(IV.) *Ususfructum in bonis liberorum adventitiis*: licet namq; patri alienatio talium bonorum voluntaria (de necessaria siquidem aliter se rem habere precedens *Sphus* ostendit) sit interdicta; is tamen in illis bonis filii vel invito ipso ususfructum habet. l. 2. C. de bon. matern. Covarruv. lib. 1. c. 8. n. 6. fol. 44. & 45. Variar. Resolut. Ioh. Anton. Mangil. Qu. 72. n. 10. & seqq. fol. 152. de Eviction. Equidem olim omnia quæ filius acquirebat (bonis saltem castrensibus exceptis) sine discrimine ad patrem pertinebant: Verumtamen generalis constitutione illud Imperator correxit, ut quod alia ex causa, quam patris occasione sibi acquisivit filius, istius ususfructum patri quidem acquirat; dominium autem apud eum remaneat. §. 1. Inst. per quas pers. l. 6. C. de bon. qua lib. Et hujus ususfructus patri in bonis adventitiis concessi fundamentum est patria potestas. l. 1. C. de bon. matern. cujus jure etiam illa bona administrat. Dicastillo c. 3. n. 107. fol. 4. de Vsufr. tanquam legitimus administrator. Non tamen ipse tenetur cautionem usufructuariam præstare de bonis illis arbitrio boni viri utendis, fruendis, & finito usufructu, restituendis: similiter nec obligatus est, (si non sponte sua id velit facere) ad Inventarium conficiendum, quia ad reddendas rationes non adstringitur. l. 8. §. 4. C. de bon. qua lib. cum plenissimam habeat potestatem ijs rebus utendi fruendi l. 6. §. 2. C. eod. Gail. l. 2. Obs. 145. n. 13. p. 596. Ascan. Clem. c. 6. Eff. 2. n. 51. p. 66. de patr. potest. Rol. à Valle de benef. Invent. Qu. 40. fol. 49. Emenckel. privil. 4. c. 4. n. 9. 10. & seqq. p. 300. & 301. de privil. par. & liberor. Lauterb. ad l. 15. tit. 1. §. 6. Digest. nisi fortean illud Iudici ita visum fuerit, quòd fortean pater causam proprietatis reddat deteriolem propter dilapidationem bonorum, ut scilicet bona liberis conserventur integra. Mynsing. Cent. 2. Obs. 93. p. 157. Castillo c. 3. n. 88. fol. 38. de Vsufructu.



## XLI.

*Ususfructum bonorum adventitiorum secundum ius commune retinet pater usq; ad vita tempus. l. 1. & 2. C. de bon. matern. etiam cum ad secundas transit. L. 4. C. de bon. matern. Perez. ibid. n. 2. Coler. par. 1. Decis. 41. n. 3. & seqq. pag. 114. 115. Carpz. par. 2. Const. 10. de fin. s. n. 6. & 7. f. 443. Jurispr. For. Richter. decis. 18. n. 4. f. 161. nisi pater filium emancipaverit, quo casu tenetur illi istæc bona restituere, verentia dimidia ususfructus parte pro premio emancipationis. l. 2 l. 6. §. 3. C. de bon. qua l. in potest. Verum de Iure Saxonico pater ususfructum in bonis liberorum adventitiis eousq; saltē retinet, donec hi ab ipso separentur, & ea ratione liberentur patria potestate. VVe-semb. in parat. ff. de his, qui sunt sui vel al. jur. n. 3. fol. 93. Et ibidem Hahnus fol. 96. Inde scribit Schneidewin. ad Instit. de parr. potest. n. 47. p. 71. Facta separatione cogitur pater filio restituere omnia bona materna & alia adventitia.*

## XLII.

*Cessat iste Ususfructus. (1) Ademtione, cum aliquid legatur, donatur, vel alio modo conceditur liberis alterius, ea lege, ne ipsorum patri exinde acquiratur ususfructus, quod fieri posse ostendit. Authent. Excipitur. C. de bon. qua liber. N. 117. c. 1. licet patri, si is inops fuerit è bonis liberorum debeantur alimenta. l. 50. in fin. ff. ad SCi. Trebell. Si enim is, à quo aliquid in alterum confertur, potest rei suæ dicere legem, quam vult per l. 10. C. de Pact. utique potest etiam aliis quippiam concedere, ut simul illorum patri ususfructus istorum bonorum adimatur. Besold. Vol. 3. Conf. 128. n. 4. s. & seqq. fol. 148. Et Vol. 6. Conf. 282. n. 1. fol. 154. & 155. Klock. Vol. 3. Conf. 110. n. 26. 27. 28. fol. 129. idque citra ullam invidiæ & odij suspicionem, quoniam istæc ademtio fit lege permittente. Corbm. Vol. 4. Resp. 16. n. 7. 8. 9. fol. 172. sive expressis, sive æquipollentibus verbis id fiat. Simon de Præcis Cent. 3.*



*Genr. 3. Conf. 27. n. 95. fol. 138. (2) Successione: nam quando pater una cum liberis succedit, usumfructum non habet. Auth. Item hereditas. C. de bon. qua lib. in pot. & ibi Brunnem. n. 2. & 3. fol. 817. Vinc. de Franch. part. 2. Decis. 651 per tot. fol. 300. nisi malit habere usumfructum & portionem suam legalem relinquere. Cornel. Benincas. p. 912. n. 33. 34. de privil. pauper. Sic (3) In spiritualibus quoque patri ususfructus non acquiritur. per c. 3. de Iudic. in 6. Grivel. Decis 37. n. 18. 19. fol. 121. quoniam patri jure patriæ potestatis ejusmodi ususfructus competit per l. 1. C. de bon. matern. sed istis in beneficiis filius est extra potestatem patris. Auth. Presbyteros. C. de Episc. & Cleric. Matth. ab Afflictis Decis. 241. n. 2. fol. 316. Schneidevv. ad Inst. de Parr. potest. n. 40. p. 71. 72.*

### XLIII.

III. Ulterius dispiciendum est, quomodo patria potestas se habeat circa actiones liberorum. Et quidem i. circa illas, quæ in iudicio instituuntur. Sanè filius contra patrem non potest litem suscipere in iudicio. l. 4. ff. de iudic. excepto peculio castrensi, & quibusdam alijs casibus, de quibus agit Anton. Capycius. Decis. 56. n. 1. 2. 3. fol. 68. vel si de alimentis; aut nomine alieno tanquam Tutor, Curator, aut Procurator agat. Brunnem. ad l. 4. n. 3. C. de parr. pot. fol. 1046. Quare autem patri cum filio lis nulla in iudicio esse possit, hæc est causa, quòd nemo cum se ipso litigare queat. l. 16. ff. de Furt. patrem verò & filium fictione iuris pro eadem haberi persona ostendit l. fin. C. de Impub. & alijs substit. Enenckelprivil 1. n. 12. & 14. p. 37 & 38. de priv. par. & liber. Inde filius non potest patrem in jus vocare absque venia Prætoris. l. 4. ff. de in jus voc. quod ad socerum, utpote qui & ipse parentis locum obtinet l. 16. ff. solutio matr. quemadmodum dos per. ut & ad alios extendi solet, de quibus videri poterit Ascanius Clementin. c. 6. Eff. 3. per tot. p. 67. de

E

parr.



*patr. pot.* quandoquidem ex moribus Romanorum poterat aliquis obtorto collo ad iudicium rapi, quod fiebat interdum violenta impressione. *l. 18 ff. de in jus voc.* Hodie tamen quia *vocatio in jus fit per citationem, quâ nulla vis aut injuria infertur citato.* *Faber. lib. 2. C. tit. 2. de fin. 13. fol. 99.* filius exhibitio supplicii libello per *l. 15. ff. de in jus voc.* Iudicis officium implorare potest, ut patrem citari jubeat ad respondendum. Et cum nulla citatio fiat nisi de mandato Iudicis per *l. 3. C. de Exhib. reis.* ideo & *venia Iudicis impetrata intelligitur, si is patrem ad instantiam filii citet, ut compareat in iudicio, & ad contenta libelli respondeat,* *Carpz. tit. 7. art. 1. n. 43, 44. f. 214. Process.*

#### XLIV.

Quamvis nonnulli negent hoc propriè ad Effectum patriæ potestatis pertinere: (1) quòd *hoc extendatur ad filium emancipatum, l. 3. C. de in jus voc.* qui tamen patriâ potestate est solutus. (2) quòd *nec mater absque venia Fratris in jus vocari queat;* quoniam & ei debetur reverentia. *l. 6. & 13 ff. de in jus voc. l. 4. ff. de Curat. fur. l. 4. C. de patr. potest.* licet in potestate sua liberos non habeat. *§. 10. Inst. de Adopt. Schneidevv. ad Instit. de Patr. potest. num. 30. pag. 70.*

#### XLV:

Ulterius sine patris consensu filius non potest in Iudicio agere, vel actionem accipere, vel litem contestari *l. 8. princip. C. de bon. que lib. in potest.* quod quidem de causis civilibus verum est; non autem de causis criminalibus, & ubi de publico Interesse agitur. *Ascan. Clement. c. 6. Effect. 4. p. 74. & seqq. de patr. potest. Schneidevv. ad Instit. de patr. pot. n. 33. p. 71. Iohan. Harprecht. ad Inst. de patr. pot. n. 30. pag. 299.* Sicuti enim pater in bonis filij, ita quoque in actionibus competentibus est legitimus administrator. *Nicol. Bellon. Conf.*

24, n. 44.



24. n. 4. fol. 84. Paul. Layman. Tom. 2. ad Ius Canon. p. 42. Ex-  
cipiuntur quoque *causæ spirituales*, ad quas tractandas pa-  
triâ concessione non indiget filius c. 3. de Iudic. in 6. nam  
in *spiritualibus*, & quæ ijs annexa sunt, *patria potestas non*  
*attenditur*. Garcias de Benefic. fol. 592. n. 197. 198. Grivell. De-  
cis. 37. n. 18. fol. 121. Sigism. Finckelth: de Iure Patronat. p. 218.  
Præcipuè si ei exinde non afferatur præjudicium. Ascan.  
Clement. c. 6. Effect. 5. n. 27. p. 89. de patr. potest.

#### XLVI.

Quod ad actus extrajudiciales attinet, illud certum  
est: *filium familias neque ex mutuo neque ex voto absque pa-*  
*tris consensu se obligare posse*. Contra mutuum ei subve-  
nit *SCtum Macedonianum*, quò cautum est, ne filio familias  
absque consensu patris pecunia detur mutuo, unde ob-  
ligatio isto nomine facta est nullius efficacix. Præter ad  
Philipp. Paschal. par. 1. c. 6. p. 173. de Virib. pat. pot. Adde l. 1.  
ff. & C. de SCto Macedon. Similiter & filium familias ex vo-  
to absque parentis consensu obligari non posse clarè  
constat *él. 2. §. 1. ff. de Pollicit.* ratio est, *ne temerè ad voven-*  
*dum inducantur filii familias*. Ascan. Clem. c. 6. Effect. 4 n. 16.  
p. 87. & seqq. de Virib. pat. potest. fieri siquidem potest, ut  
ipsi facilius ad vovendum, quàm ad alium contractum  
ineundum induci queant. Ioh. Harprecht. ad Instit. de patr.  
pot. n. 31. p. 300. Ascan. Clem. de patr. potest. c. 6. Effect. 4. n. 16.  
& seqq. p. 87. & seqq.

#### XLVII.

Præterea filius familias *irriquisitò patris sui consensu*  
*nuptias celebrare non potest*: L. 18. l. 35. ff. de R. N. l. 7 l. 12. &  
l. 20. C. de Nuptiis. nam hoc fieri debere *civilis & naturalis*  
*ratio suadet*, in tantum; ut parentum consensus præcede-  
re debeat. pr. Instit. de Nupt. Et quidem *naturalis ratio id*  
*suadet*, quia *naturâ nihil æquius est, quàm ut liberi parenti-*



bus obediunt; præcipuè in negotio tanti momenti, uti est  
matrimonium per l. 28. C. de inoffic. testam. Iohan. Kirzel in  
Synopsi matrimon. c. 4. theor. p. 93. Franzk. ad Inst. de Nupt. n.  
49. p. 50. Civilis quoque ratio id ipsum suadet, quoniam  
patria potestas voluntatem liberorum ita cohibet, ut sine ea fili-  
us nihil firmiter velle posse censeatur. per l. 4. ff. de R. I. Ioh.  
Coral. lib. 1. misc. c. 17. f. 595. Paul. Cyprius par. 1. c. 6. §. 1. n. 2.  
p. 205. & 206. de Sponsal. Ioachim. Beust. par. 2. c. 45. p. 177. 178.  
de Matrim. Quod in tantum verum est, ut, licet pater  
sit improbus, ejus tamen consensus requiratur: nam per  
improbritatem patria potestas non tollitur; sed is nihilomi-  
nus maneat pater. Vnde hic accommodari potest illud.  
Licet legum contemtor & impius sit, tamen pater est. N. 12. c. 2.  
Quapropter etiam pater, qui ob paupertatem exposuit fi-  
liam, si ipsa postmodum ab alio educata nubere velit,  
istis nuptijs consentire tenetur. l. 16. C. de Nupt. Dictum  
quoque est, quod patris consensus præcedere debeat, unde  
nuptias liberorum absque parentum consensu contra-  
ctas ne quidem per ratihabitionem convalescere nonnul-  
li statuunt, quippe quòd illæ initio fuerint vitiosæ per l. 29.  
ff. de R. I. Harprecht ad pr. Inst. de Nupt. n. 111. p. 410. ubi distin-  
guendum est, quod tales nuptiæ sine patris consensu contra-  
ctæ ab initio contractus quidem non valeant; attamen ab initio  
consensus per ratihabitionem declarati convalescant. Hoc ita-  
que operatur ratihabitione, ut sponsalia convalescant ex  
tempore ratihabitionis, & consensus per l. 68. ff. de Iure  
dor. l. 5. C. de Nupt. Enenckel. privileg. 6. c. 2. n. 7. p. 361. de  
privileg. par. & lib. Carpzov. lib. 2. definit. 41. per tot. fol. 63. Iu-  
rispr. Consistor. Quamvis alij velint ob favorem matrimonij  
patris ratihabitionem hoc operari, ut etiam ab initio nuptiæ pro  
legitimis habeantur, quod ratihabitione retrahatur, & confirmet  
sa, quæ ab initio subsequuta sunt l. 7. C. ad Sc. Macedon. Kirzel.



c. 4. Theor. 2. lit. g. p. 97. Synops. marrimon. Non tamen  
necessum est, ut pater semper consentiat expressè, sed  
sufficit, si sciens negotium filij non contradixit, cum ta-  
men potestatem contradicendi habuerit. l. 7. §. 1. ff. de  
sponsal. l. 1. C. de filijs famil. lib. 10. Qui enim tacet videtur  
consentire. c. 43. de R. I. in 6. l. 13. §. 11. ff. Loc. cond. & alias  
scientia cum patientia habetur pro consensu per l. 1. §. 3.  
& ibi gl. ff. de Tribuz. act. & l. 4. §. 4. ff. de Precar. Menoch.  
l. 2. pres. 74. n. 6. fol. 249. de Præsumt.

### XLVIII.

Quid si pater nomine liberorum puberum nuptias  
contrahat, numquid ne ipsi ad istas consummandas ob-  
ligantur? dico, quòd non, nisi presentes expressè vel tacitè con-  
sentiant: absentes verò eas postmodum à tempore scientia rati-  
habeant. c. un. §. fin. de Despons. impub. in 6. nam fieri non  
potest, ut sponsalia vel ullum iuris effectum habere in-  
telligantur, nisi sciant & consentiant illi, de quorum con-  
iunctione agitur. l. 8. C. de Nupt. quippe quod ubi non est  
consensus, ibi etiam non sit conjugium. c. unic. 30. qv. 2.  
cum sponsalia mutuo contrahentium consensu constitu-  
antur. l. 11. ff. de Sponsal. vel illorum ratihabitio accedat:  
hæc enim confirmat actum præcedentem. per c. 5. Ext. de despons.  
Impub. & validum efficit matrimonium, quod ab initio non  
erat. c. 4. Ext. Qui matrim. accus. poss. Interim pater non  
potest cogere liberos, ut contra voluntatem suam nuptias  
ab ipso electas consumment, cum hoc matrimonij liber-  
tatem impediatur. Matrimonia siquidem, quæ consensu con-  
trahuntur & constare debent. c. Sufficiat. 27. qv. 2. c. unic. 30.  
qv. 2. l. 11. ff. de sponsal. l. 15. ff. de Condit. & demonstr. l. 30.  
ff. de R. I. libera esse oportet. l. 12. C. de Nupt. nec decet libe-  
ram contrahendi facultatem ad necessitatem transferre  
l. 14. C. de Nupt. & subinde inhonestum est vinculo pæna



*obstringi matrimonial. l. 134. in fin. pr. ff. de V. O. adde c. 29. Ext. de sponsal. cum matrimonia coacta difficiles & tristes exitus habere soleant. c. de neptis. 31. qu. 2. c. 2. & c. 17. Ext. de Sponsal. modò justam dissentiendi causam habeant liberi, aliàs ipsos decet patri etiam hoc in casu obedire.*

XLIX.

Similiter si liberi honestam & utilem nubendi occasionem consequantur, adeo que in sciò patre sponsalia contrahant, tum si pater *justam sui dissensus causam allegare & probare possit*, non immeritò ob contemptam patris auctoritatem, quæ sancta esse liberis debet *l. 9. ff. de Obsequ. par. & patr. præst.* ejusmodi sponsalia redduntur irrita, etiam si jurejurando sint firmata: cum tale iuramentum ob nullitatem negotii, cui accedit, in se sit invalidum & nullum habeat iuris effectum per *c. 58. de R. I. in 6. c. 18. §. si falsam. Ext. de Iurei. Iob. Kitzel. c. 4. Theor. 5. lit. b. c. p. 108. & 109. Synops. matrim. Harprecht ad princ. Inst. de Nupt. n. 134. & seqq. p. 416, & 417.* Quando verò pater justam dissentiendi causam non habet, sed animo saltem præfractio consensum suum deneget, tum tantus non est patris potestatis effectus, ut liberis quoad honestatem matrimonii impedimento esse possit. elegans textus est in *l. 1. §. 5. ff. de lib. exhib.* ut potius dissensus absq; ulla causa habeatur pro consensu: vel etiam istius defectum iudex Ecclesiasticus supplere, adeoq; liberis vel invito Patre permittere possit, ut ipsi nuptias contrahant. Vide *l. 19. ff. de R. N. l. 18. C. de Nupt. Carpzov. lib. 2: de fin. 53. per 101. fol. 80. & 81. Jurisp. Consist.* Ubi & illud non prætereundum est: patrem quidem justò suò dissensu impedire posse matrimonia ipso in sciò contracta, sed cum hac limitatione, si res adhuc sit integra, id est, si copula carnalis non intervenerit: hæc enim si accesserit, tum sponsalia in sciò vel reluctante patre contracta non rescinduntur, sed per benedictionem sacerdotalem

talem



talem consummari debent: copula namq; carnalis purgare  
clandestinitatem, & ratum facit conjugium, licet illud per se  
non sit legitimum. Dd. ad. c. 6. Exz. de Raptor. Et sæpe aliquid  
feri non debebat, quod tamen postea, quando factum  
est, non rescinditur: cum & multa impediunt matrimo-  
nium contrahendum, quæ contractum non dissolvunt.  
Harprecht. ad pr. Inst. de Nupt. n. 122. & seqq, p. 413. Kuzel.  
c. 4. Theor. s. lit. d. p. 109. Synops. matrim. Carpz. l. 2. defin. 60.  
n. 6. & seqq fol. 93. & 94. Iurispr. Consistor.

### L.

Plura adhuc possent addi; sed pergendum est ad  
actus ultimæ voluntatis, & videndum, numquid filius-  
familias absque patris consensu possit facere testamen-  
tum: vel etiam actum donationis mortis causa exerce-  
re? vel utrumque possit accedente patris consensu præ-  
stare?

### LI.

(I.) Filius non habet *testamenti factionem activam*,  
vel quod idem est, testamentum facere non potest: nam  
qui alieno juri subiectus est, testamenti faciendi jus non habet.  
pr. Inst. Quib. non est perm. facer. testam. l. 19. ff. Qui test.  
fac. poss. l. 3. §. 1. & l. 11. C. eod. in tantum, ut si pater ei  
hoc permittat; tamen de jure testari nequeat. pr. Instit.  
Quib. non est perm. fac. test. l. 6. ff. Qui test. fac. poss. adeò ut  
licet filius sit centum annorum, modò adhuc in potestate  
tuerit, tamen testari non potest. Job. de Platea ad pr.  
Instit. Quib. non est perm. fac. testam. patre quantumvis  
consentiente. Nam Lex XII. Tabb. non nisi patribus fami-  
liàs potestatem condendi testamentum concedit. per l. 120. ff. de  
V. S. Franzkius ad pr. Instit. Quib. non est perm. fac. testam.  
p. 259, Verùm Ulpianus in fragm. 112. 20. §. 10, aliam affert  
ratio-

ratio-



rationem, quia nihil suum habet filius, ut de eo testari possit. Quæ ratio olim quidem valere poterat, quò omne illud, quod filius acquirebat, patri acquirebat; sed illud est correctum. *S. 1. Inst. Per quas pers. l. 6. C. de bonis quaelib. sed tamen ne hodie testamentum facere potest filius, Sichard, ad C. Qui testam. fac. poss. n. 11 fol. 740. putat: filium testandi facultatem non habere, quod ei interdicta sit bonorum administratio: nam factio testamenti importat quodammodo administrationem bonorum, quia per eam de illis disponitur. Patris autem consensus quoad validitatem testamenti à filio compositi nihil operari potest, quia lex filii personam tanquam legitimam in faciendo testamento non approbat. Ascan. Clement. c. 4. Effect. 9. n. 1. p. 104. Quippè quòd 1. apud ipsum non sit status integritas, quamdiu subest patriæ potestati. 2. justam voluntatis suæ sententiam habere nequeat, quòd alterius directioni & arbitrio subiectus propriæ voluntatis arbitrium liberum non obtineat. Vide Mantz. ad pr. Inst. Quib. non est perm. fac. test. n. 11. & 13. fol. 449. Neque potest filius testari de bonis adventitiis, in quibus pater obtinet usum-fruitum l. 11. C. Qui test. fac. poss. l. 6. §. 5. C. de bon. quaelib. imò ne quidem jus testandi habet de illis bonis in tali casu, quando patri usufructus non competit. Michael Grassus Recept. Sentent. §. Testamentum. Qv. 23. n. 2. fol. 420. Ascan. Clem. c. 6. Effect. 9. n. 4. p. 99. de patr. pot. Francisc. de Barry lib. 1. tit. 7. n. 2. fol. 34. de succession. Daurb. de Testam. fol. 139. n. 154. Nicol. Reusner. lib. 1. c. 28. n. 19. & 20. de Testam. p. 345. 346. non attentis illis; quæ à Johan. Vaudo lib. 1. pag. 3. & seqq. & alijs opponi solent, illa enim partim à Reusnero d. cap. p. 347. & seqq. partim à Mantzio de Testam. tit. 2. n. 99. n. 103. & seqq. p. 19. sunt soluta. Adde Luduvvel. par. 2. c. 1. p. 195. & seqq. de ultim. Volunt.*

LII. Imò



## LII.

Imò non valet testamentum, quod filius fecit, etiam si is postea suæ potestatis factus decesserit. *pr. Inst. Quib. non est perm. fac. test.* ratio habetur in *l. 19. ff. Qui testam. fac. poss.* quia nullæ sunt tabule testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit. Legalitas enim subsequens præcedentem actum, qui invalidus erat, minimè validum reddit. *Mantz. tit. 2. n. 114. fol. 20. de Testam.* Illo namque tempore, quò filius familias fecit testamentum, non habuit potestatem testandi, ergò illud ab initio non valuit, atque ita tractu temporis non potuit convallescere *l. 1. ff. de Reg. Cæron. l. 30. ff. de R. I.* nam utrumque tempus est inspiciendum, an testator sit idoneus, & cum facit testamentum, & cum moritur. *l. 1. §. 8. de Bon. poss. sec. tab.*

## LIII.

De peculio tamen castrensi vel quasi castrensi filio testari licet *pr. Inst. Quib. non est perm. l. 12. C. Qui Test. fac. poss.* ratio est, quia in respectu talis peculij quod ad testandum attinet, filius habetur pro patre familias *l. 6. §. 13. ff. de injust. rupt. & irr. test. Harpreche. ad pr. Inst. Quib. non est perm. fac. test. n. 20. p. 873.* quamvis illi, qui de quasi castrensi peculio testantur, secundum dispositionem Iuris communis testari teneantur. *Enenckel privileg. 16. cap. 3. num. 4. p. 923. de Privileg. par. & lib. Ascan. Clem. cap. 6. Eff. 9. num. 5. pag. 100. de patr. pot.*

## LIV.

Nonnulli tamen excipere quoque volunt, si filius familias testetur ad pias causas: quæ licet controversia acerrimè agitata fuerit inter Doctores; attamen propter auctoritatem Iuris Canonici in *c. licet. 4. §. ult. de sepult. in 6.* hæc sententia à Doctoribus est recepta: filium familias non prohiberi, quo minus ad pias causas cum consensu patris possit testari.

G

stari.



stari. Grassus Recept. sent. §. Testamentum. qv. 17. num. 12. fol. 415. Thomas Maulius lib. 1. tit. 2. num. 22, Except. 10. pag. 37. de ultim. volunt. Barbosa ad c. 4. n. 6. de sepult. in 6. p. 221. Vivian. ibid. p. 134. Schneidev. ad pr. Inst. Quib. non est perm. n. 11. p. 527. rationem ponit in favore pie causa. Sed alii statuunt, ea quæ in honorem Dei fiunt, non esse sub lege: unde in testamento filii de bonis adventitiis cum consensu patris factò non Iuris Civilis prohibitionem; sed Iuris gentium vel Canonici dispositionem attendi statuunt. Vide Tiraquell. de privil. pie causa. privil. 78. per tot. fol. 38. quo cum facit Brunnem, ad l. 19. ff. Qui test. fac. poss. n. 5. fol. 54. Dissentire tamen videtur Ludv. par. 2. c. 1. p. 199. de ult. vol.

### LV.

II. Quantumvis filius de Iure Civili non possit testari cum consensu patris; tamen potest cum consensu patris donare mortis causa. l. 25. §. 1. ff. de m. c. d. ratio est, quia cum filius non habeat jus familiæ, nec sit caput familiæ, tum ex ratione illa juris Romani positivi testamentum condere nequit. Sed ad donationem mortis causa non requiritur, ut donans sit pater familias, inde filius quoque donare eo modo non prohibetur. Patris tamen consensus expressus ob ejus præjudicium & interesse saltem. Gerard. Maynard. lib. 5. decis. n. 2. fol. 385. non verò ob integrandam personam filii requiritur. Dn. Habn. ad Vvesemb. Parat. ff. de m. c. d. n. 4. fol. 299. alias rationes adducunt Ascan. Clement. c. 6. Effect. 10. per tot. p. 107. & 108. de patr. potest. quoniam tacitus consensus non sufficit, ubi expressus requiritur, ob fragile filii iudicium l. 7. §. 6. ff. de Donat. Berlich. par. 3. conclus. 1. n. 17. fol. 13. præcipuè quando consensus requiritur ad solennitatem actus. Vide Petr. Peck. l. 3. c. 3. n. 3. p. 243. & 244. de Test. conjug. quantumvis etiam & rarior habitionem patris sufficere nonnulli doceant, dummodo quinque testibus probatum fuerit.

erit.



erit, filium post patris rarihabitionem in eadem voluntate perstitisse. *Enenckel. privil. 16. n. 13. & 14. p. 916. de privil. par. Berlich. par. 3. concl. 1. n. 16. fol. 13.* Semel autem consensus datus revocari à patre non potest: Jus enim istud concessum filio à patre postea ei invito auferri non potest. Licitum quoque est filio patri consentienti mortis causa donare, quia ex ista donatione nulla obligatio ex parte donantis nascitur ob revocabilitatem, quoniam non nisi post mortem donatoris sortitur effectum: ne nunc dicam, quod hæc donatio sit similis legato & fideicommissio per *l. 15. 17. & 37. ff. & l. 4. C. de m. c. d. quod filius patri suo relinquere non prohibetur. Bocer. c. 5. n. 38. pag. 165. de Donat. Ludvvel. par. 2. c. 5 p. 434. de ult. volunt.*

#### LVI.

Hucusque dictum est de Patriæ potestatis Effectu quantum ingenii tenuitas permittere voluit: omnia namque quæ ad hoc quidem insigne & longè lateque diffusum argumentum spectant, afferri à me haut potuisse, quivis vel me tacente facilè intellexerit: & si plura potuissem addere; tamen chartarum angustia, quam nolim justæ disputationis terminos excedere, illa non comprehenderet. Superest igitur, ut de quibusdam modis solvendi patriam potestatem nonnulla in medium afferam.

#### LVII.

Solvitur autem patriapoteestas 1. *Morte*: nam mortuò patre liberi sui juris efficiuntur. *pr. Inst. Quib. mod. Int. par. pot. solv. l. 15. ff. Qu. dies legati vel fideicom. c. d.* Sed mors est duplex (1) *Naturalis*, quâ vita hominis tollitur (2) *Civilis*, quâ civis Romanus è numero civium Romanorum eximitur; quod fit *vel maximâ vel mediâ capitis diminutione*, & hanc morti naturali adæquari per *l. 4. ff. Qui satisd. cog. l. 11. §. 4. ff. de Test. Tur. l. 1. §. 8. ff. de bon. poss. cont.*



*Tab. Enenck. l. 3. c. 13. n. 3. p. 307. de privil. Iur. Civil. inde patet: sicuti enim morte naturali homines, ita & maximâ mediaque capitis diminutione cives perire & à societate civili separari ostenditur è l. 63. §. 10. ff. pro Socio. & l. 5. pr. ff. de bon. damn. Harprecht. ad §. 1. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. Quare autem morte naturali solvatur patria potestas, hæc est ratio, quia per mortem tollitur de medio illa persona, in qua radicatum erat Ius patrie potestatis, quod hæcenus impediēbat, quo minus filius familias potuerit esse sui juris. Schneidevv. ad pr. Inst. d. 2. p. 160. Nam illud est jus personale, quod cum persona moriente extinguitur. l. 3. §. 3. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. Similiter & morte civili tollitur patria potestas, nam qui ob delictum deportatur, quasi mortuus habetur. §. 1. Inst. Quib. mod. Jus pat. pot. solv. & ita tollitur è numero civium Romanorum: Sed qui desit esse civis Romanus, jus patrie potestatis amplius habere non potest, quia illud civium Romanorum proprium esse dicitur §. 2. Inst. de pat. pot. l. 3. ff. de his, qui sunt sui vel al. jur. Ascan. Clement. c. ult. n. 8. p. 182. de pat. pot. Schneidevv. ad §. 1. Inst. n. 1. p. 161. Quib. mod. pat. pot. solv.*

#### LVIII.

2. *Emancipatione, quâ filius familias dimittebatur è potestate patris. §. 6. Inst. qu. mod. Ius pat. pot. solv. Est enim Emancipatio actus legitimus, quò filius familias sui juris efficitur, & apud competentem judicem à patre è potestate dimittitur. l. 5. & 6. C. de Emancip. liber. Quàm difficilis, perplexa & multis solennitatibus innodata olim fuerit emancipatio, & quomodo nimis duram illam & è LL. XII. Tabb. descendente rationem emancipandi correxerint tam Anastasius quàm Justinianus Imperatores, è l. 5. & 6. C. de Emancip. liberor. patebit plenius. Et quæ præter Ascanium. Clem. cap. ult. n. 79. & seqq. p. 127. & seqq. obser-*  
vavit



vavit Franzkius ad §. 6. & 7. Instit. Quib. mod. jus pat. pot. solv. & benè ostendit. Vultejus ibid. p. 98. 99. Sunt itaque Emancipationis requisita. 1. ut fiat coram competente iudice jurisdictionem habente. l. 4. ff. de Adopt. l. 6. C. de Emancip. liber. 2. Ut fiat apud acta. §. 8. Instit. qu. mod. jus pat. pot. solv. l. 11. C. de Fid. Instrum. 3. ut interveniat consensus filii emancipandi: invitus enim ad hoc cogi non potest, ut se patriatur emancipari. l. 5. C. de Emanc. liber. nisi iustis de causis. 4. ut interveniat consensus patris emancipantis: pater namque cogi non potest ad liberos suos emancipandos. §. 10 Instit. Quib. mod. jus pat. pot. solv. l. 31. ff. de Adopt. l. 4. C. de Emancip. liber. nisi in quatuor potissimum casibus, quos exhibet Rittersb. ad §. ult. Instit. d. r. p. 91. Adde Schneiderv. ad §. 6. Instit. eod. num. 5. & 6. pag. 168. Et Colleg. Argentorat. ad Tit. ff. de Adopt. num. 73. 74. & seqq. pag. 59. & seqq. ubi fufius hoc argumentum tractatur.

#### LIX.

Hodie solennis iste emancipandi modus, qui tempore Iustiniani obtinuit, in usu amplius non est: & licet non exeat aliqua Lex, quâ derogatum sit isti juri, consuetudo tamen, quæ non minus, quam Lex scripta servanda est l. 33. & 35. ff. de LL. in contrarium adest, eo scilicet sensu, quod emancipatio in se spectata, quatenus formaliter importat rationem dimittendi liberos è potestate patris, non sit abolita. Nam si liberi etiam apud Germanos sub potestate sunt, sub qua tamen non manent perpetuò, necessum est, ut ab ea præter alios modos etiam per dimissionem, quantumvis tantâ, uti olim, non adhibita solennitate, liberentur. Et quidem vel (1) per justas nuptias, vel (2) per separationem à parentibus suis, dum liberi propriam rem familiarem & Oeconomiam à paterna separatam instituunt.



Quod ad nuptias liberorum attinet, certum est, & quidem (1) Quoad filium, per nuptias patriam potestatem non dissolvi. §. 9. Instit. Quib. mod. patr. pot. solv. l. 24. §. 2. l. 37. ff. ad L. Inl. de Adult. Hinc etiam patri per mortem filij aut similem modum sui hæredes agnasci passim dicuntur. (2. Quoad filiam. l. 2. §. 1. in fin. l. 29. ff. Solut. matr. l. 1. §. 5. ff. de lib. exhib. l. 1. §. 9. ff. de Injur. quamvis alio modo filiam patri; alio modo eandem marito subjectam esse fateatur *VVurmser. lib. 1. tit. 12. n. 8. pag. 170. Nucl. Controv. Juris. ut potè in cujus familiam transit l. 11. §. 3. ff. Quod fals. tur. l. 195. §. 1. l. 1. 96. ff. de V. S.*

## LXI.

Verùm secundum consuetudinem Germaniæ liberi ipso factò emancipantur, quando cum parentum consensu nubunt vel uxores ducunt. *Forster. de Jurisd. pag. 279. Besoldus par. 2. Cons. 44. n. 4. fol. 57.* Et certè de filia fortassis secundum Jus Saxonicum hoc non habebit dubium, quia ipsa statim peractis nuptiis in potestatem & tutelam mariti cum omnibus suis bonis transit. *Landrecht lib. 1. art. 31. Coler. par. 1. Decis. 12. n. 4. p. 29 Richter. Decis. 76. num. 37. fol. 99.* quoniam verò uxor in duorum potestate esse nequit, hinc viri domicilium sequitur, & patria potestate liberatur. *Berlich. par. 2. Concl. 11. n. 31. & seqq. fol. 62. 63. VVurmser. in Nucl. Controv. lib. 1. tit. 12. n. 9. 10. p. 170. Philipp: in usu pract. Inst. lib. 1. tit. 12. Ecl. 77. n. 5. p. 232.* Sed de filio illud majorem dubitationem habet, cum primis, quia non constat, an ejusmodi consuetudo Germaniæ extet, vel illud saltem de consuetudine certæ alicujus provinciæ verum esse debeat? de universali quadam consuetudine id dubio procul intelligi haut posse, *Cameralis sententia in causa Comitis à Löwestein Anno 1587. publicata in contrarium est*

est



est apud Coler. par. 2. Decis. 222. n. 2. p. 31. Quod etiam ur-  
get Franzkius ad l. Gallus. 29. ff. de posth. & hered. instit. disp.  
1. memb. 3. n. 21. p. 85. & 86. Gilken. par. 3. c. 3. n. 38. p. 574.  
de usuc. quoque putat, illam consuetudinem non esse universa-  
lem. Interim ad consuetudinem hac in re provocant He-  
ringius c. 7. n. 622. & seqq: de Fidejuss. p. 191. Zasius ad l. 107.  
n. 4. fol. 675. ff. de V. O. Berlich. par. 2. Concl. 11. n. 26. fol. 62.  
Mevius ad Ius Lubec. lib. 1. tit. 3. n. 24. & 25. fol. 144.  
Quod filius, qui matrimonium contrahit, & separatam  
familiam à patre habet, sui juris fiat. Sanè de jure Saxo-  
nico filius, etiamsi matrimonium contraxit, quamdiu in  
ædibus paternis subsistit, à potestate patria non liberatur.  
Carpz. par. 2. Const. 10. defn. 3. per tot. fol. 443. Iurispr. For.  
aliud tamen est, si ducta uxore separatam familiam ha-  
bere incipiat.

## LXII.

II. Etiam de separatione, nuptiis licèt non interve-  
nientibus affirmari constat, per eam solvi patriam potesta-  
tem. Ubi in principio monendum est, nobis præcisè ser-  
monem non esse de illa separatione, quâ liberi à parenti-  
bus per assignationem certæ portionis à communionem bonorum co-  
ram competente Iudice excluduntur. Mevius ad Ius Lubec. l.  
2. tit. 2. art. 33. n. 3. fol. 272. cujusmodi separatio includit  
renunciationem successionis futuræ: ipsiq; liberi habentur  
pro exheredatis, extraneis & dissortibus, quique à paterna  
maternaq; domo & familia, ut & successione planè exclusi  
sunt. Vultejus Vol. 1. Cons. 26. n. 86. fol. 328. Ernest. Cothm. Vol.  
2. Cons. 5. n. 19. 20. fol. 65. Quo pacto liberi dissortes vel se-  
parati habentur pro mortuis, cum patri sive ex testamen-  
to sive ab intestato succedere non possint. Gomez. ad l. Tau-  
ri. 22. n. 8. f. 143. & seqv. Cothman. Vol. 2. Cons. 99. n. 68. fol. 344.  
paria siquidem sunt, filium non extare, aut extare quidem; sed  
succeede.



*succedere non posse. Bart. ad l. 2. §. 8. ff. ad Sci. Tertullian. Mevius à. art. n. 132. fol. 281. ad Ius Lubec. quo casu etiam liberi non tenentur ad solutionem æris alieni à parentibus, à quibus ita separati sunt, quondam contracti, quoniam hoc modo non sunt eorum hæredes. Uti. 4. Decembris ita à Nobilissima ICtorum Facultate in tali casu pronunciatum esse mihi aperuit Dn. Præses. Verùm de tali separatione potissimùm loquor, quæ consistit in segregatione liberorum à paterna domo, cum institutione propria rei familiaris, foci & fumi: hanc enim emancipationis loco esse tantùm non omnes ferè unanimiter concludunt. Vide Prückman. par. 1. Cons. 1. n. 12. p. 5. Certè de Jure Saxonico illud dubium non habere testatur Franzkius d l. Gallus. disp. 1. memb. 3. n. 26. p. 87. Vide & Dn. Habnium ad VVesembec. ff. de Adopt. n. 7. fol. 101. Adde Struvium in Jurispr. Rom. Germ. forensi l. 1. c. 12. n. 5. p. 34. Hæc tamen separatio à paterna domo & institutione propria œconomix non inducit renunciationem successionis, uti prior separandi ratio; sed jus succedendi liberis ita separatis manet integrum. Talis siquidem separatio importat quidem segregationem à paterna vel etiam materna domo; non tamen exclusionem à successione.*

### LXIII.

Tollitur quoque Patria potestas *Adoptione* eòmodò prout exponitur in §. 8. *Inst. Quib. mod. pat. pot. solv.* Hodie non omnis adoptio inducit patriam potestatem: Sed distinguendum est *inter adoptionem, quæ fit à conjuncta persona, & quæ fit ab extraneo.* Priore modo adoptio patriam potestatem adhuc confert, quamvis juxta *Harprecht. ad §. 8. n. 1. p. 584. Inst.* potius sit *transitus à potestate unius scilicet patris naturalis ad potestatem alterius patris nimirum adoptivi, cui datur adoptandus: modo. (1.) adoptans sit*  
*avus*



avus vel proavus l. pen. C. de adopt. (2.) ut adoptio coram Magistratu competente actorum scripturâ interveniente fiat. Mynsing. ad §. 8. n. 2. p. 80. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. (3.) tam adoptantis quam adoptari consensus accedat: qui etiam adesse præsumitur, quando actui isti non contradicitur. l. 5. ff. de Adopt. Quando autem adoptio fit ab extraneo, tum non tam patria potestas, quam jus succedendi saltem adoptivo patri tribuitur ab intestato. §. 2. Inst. de Adopt. l. pen. C. eod. Hahn. ad Paratit. VVesemb. de Adopt. n. 6. fol. 101.

#### LXIV.

Porro Dignitas Patriciatus liberat à patria potestate juxta jus Justinianicum, §. 4 Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. l. 5. C. de Consulib. lib. 12. N. 81. pr. Ascan. Clementin. c. ult. n. 49. p. 189. & 190. de pat. pot. Patricii siquidem eligebantur consiliarii & Assessores Imperatoris, sine quorum suffragiis in consilio Principis nihil dicebatur aut agebatur. Draco. l. 2. c. 1. p. 93. de Orig. & Jure Patricior. Etenim quia ad tantum munus eligebantur, ut consiliis summo Principi adessent, patriæ potestati subesse non potuerunt, ne ad arcana revelanda invitarentur à patre. Deinde indecens fuit, cum subjacere patris potestati, quem Imperator tanquam patrem venerabatur. Guido Panciroll. l. 2. c. 8. p. 194. Thes. Variar. Lectio. Nec obstat quod Princeps alteri invito jus suum auferre nequeat. per l. 4. C. de Emancip. liberor. Nam ob utilitatem publicam, cui privata cedit, l. un. §. 14. in fin. C. de cad. toll. Principem hoc posse ostendere videtur N. 36. c. 1. pr. Harprecht ad §. 4. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. n. 4. 5. p. 576. Draco. l. 2. c. 4. n. 3. p. 139. de Orig. & Jure Patric. Hac ratione quidam docent, dignitatem Doctoralem liberare à patria potestate, uti Mynsing. ad §. Inst. d. 1. n. 7. p. 73. Herdesian. disp. 17. ad Inst. n. 4. lit. B. p. 28. Vultejus ad §. 4. n. 7. pag. 97. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. sed verius est contrarium,

H

quo-



quoniam nullibi in Jure hoc cautum est: non oportet autem  
jus fingere, ubi illud deficit. Harprecht. ad §. 4. num. 9. pag.  
577. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solv. Carpz. par. 2. Const.  
20. defn. 4. fol. 443. Jurispr. Forens. Vngepaur. Exercit. Justin.  
3. qv. 13 p. 163. 164. Nec obstat: dignitatem omnem à Curia-  
libus muneribus immunitatem præstare per. l. 6. & 11. C. de Pro-  
fess. & Medic. jam verò Doctoratum esse dignitatem nemi-  
nem posse in dubium vocare; sed hoc explicandum est è l. 66.  
C. de Decurion. quæ certas saltem continet dignitates: in qui-  
bus cum non contineatur Doctoralis dignitas, meritò hæc  
sententia repellitur. Hinc quæ dignitas non liberat à Curia, illa  
etiam non liberat à patriapoteestate: at Doctoris Juris dignitas non  
liberat à Curia. Ergo. Vide Enenckel. priv. 1. c. 12. n. 40. p.  
119. & seqv. de privil. par. & lib. V Valtb. c. 15. §. 101. qv. 63.  
pag. 287. de statu. Jurib. & privil. Doctör.

#### LXV.

Monachatum verò seu ingressum religionis tollere  
patriam potestatem Coll. Arg. ad Tit. de Adopt. n. 108. pag. 65.  
statuit: ratio est, quia ejusmodi homo transit sub potestatem Abba-  
tis, nemo autem directè potest sub duplici potestate esse.  
Vide Enenckel. priv. 1. c. 9. num. 10. pag. 84. de privil. par.  
& lib. Adde Grivell. Decis. 14. n. 12. 13. p. 33.

#### LXVI.

Tandem quomodo Captivitate, delicto, Philip. Paschal.  
par. 2. c. 10. fol. 571. de Virib. par. pot. aut aliis modis patria  
potestas tollatur, illud ex Tit. Inst. Quib. mod. jus pat. pot.  
toll. & istius Interpretibus petendum est. Quibus hîc fi-  
nio, & sicubi, quod contingere mihi potuit, ex juvenili  
infirmirate lapsus sum, ut illud mihi ignoscatur,  
& erranti comiter via monstretur me-  
lior, subinde rogo.

SOLI DEO GLORIA.

Coll. diss. A 157, 32